Amores

Philippe Petit-Radel

Digitized by Google

P. o. lat. 1660 a

Digitized by Google

Digitized by Google

DE AMORIBUS

PANCHARITIS ET ZOROÆ,

POËMA EROTICON.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Clement sculp.

Fequid adhûc tædas caecique Cupidinis arcus
Expertus fugerem, pectore vulnus alens ?

Digitized by Google

(Petit-Radel, Philippe)

DE AMORIBUS PANCHARITIS ET ZOROÆ,

POËMA EROTICON

IDALIO STYLO EXARATUM;

SEU

UMBRATICA LUCUBRATIO

DE CULTU VENERIS

MILETO OLIM PERACTO,

UT AMATHUNTEI MYSTA SACELLI

SUBDUXIT ET VULGAVIT

ATHENIS.

(1796)

PARISIIS,

APUD MOLINI, VIA DICTA *MIGNON*.

ANNO REIPUBLICÆ GALLICÆ VI.

Nb 168 / 1252

Digitized by Google

Bouchard Md.

Digitized by Google

AVANT-PROPOS

DU LIBRAIRE.

Le titre de ce poème annonce suffisamment sa nature. L'auteur, déja connu par plusieurs ouvrages sur les sciences spéculatives et pratiques relatives aux opérations de la vie, et aux moyens de la conserver ou de la rétablir dans toute son intégrité, a employé à celui-ci des momens de loisir qu'on ne consacre que trop souvent au jeu ou à l'oisiveté. Abandonné à ses réflexions pendant une longue navigation dans les régions orientales, il a cherché à en diminuer les ennuis en tenant son ame dans les émotions que lui avoient fait naître la lecture et la méditation des auteurs latins qui ont le plus parlé le langage des passions. Animé du feu qui brille dans ces sources, et riche du fonds

Digitized by Google

des modernes dont il connoît les langues, il a donné carrière à ses idées en composant ce recueil, qu'on peut regarder comme une histoire suivie en son genre. Entre autres morceaux qui pourront piquer la curiosité des scrutateurs et amateurs des phénomènes de la nature, ceux sous le titre de *Mathesis*, *Miscellanea*, *Sponsalia*, *Paralipomena*, et *Mantissa*, offriront, sinon de nouvelles vues philosophiques, du moins des difficultés vaincues quant à la cadence et à la précision d'expression en matière de doctrine exposée selon les règles de la mesure. La passion y est manifestée avec véhémence et pureté dans ceux intitulés *Monologium*, *Æstus*, *Procella*, *Confessio*, *Deditio*, *Epiphonema*, *Pervigilium*, *Delirium*, *Colludium*, *Ululatus*, *Soliloquium*, et autres. Ceux *Anathema*, *Proseucticon*, *Precatio*, *Epinicium*, *Polychronium*, *Soteria*, *Votum*, *Invocatio*, offrent

autant de vœux et de prières où toute l'énergie du sentiment est développée. On y trouvera quelques pièces imitées de Catulle, de Montesquieu, de Métastase, de Dorat, et de Parny; mais que l'auteur a tellement travaillées pour les approprier à son sujet, et à la mesure qu'il a choisie, qu'on ne pourroit le taxer de larcin sans paroître avoir trop de sévérité. Nous croyons que les amateurs de la langue de l'ancienne Rome nous sauront gré du soin que nous avons pris de sauver de l'oubli où l'auteur les avoit condamnés, ces loisirs d'une ame sensible rendus dans la pureté, l'élégance et la délicatesse du pinceau des Properce, des Tibulle et des Ovide, alliés, tels qu'ils le sont, aux notions d'une nouvelle philosophie, qui ne peut que leur donner un plus beau lustre. Notre regret, en nous occupant de ce travail, est de voir diminuer de jour en jour les appréciateurs

Digitized by Google

du mérite qu'il peut avoir, par l'oubli, et même, nous le disons avec regret, le mépris où semble être tombée une langue ancienne à qui la nôtre doit tant. Puisse cet ouvrage ramener à de plus justes sentimens à son égard!

Digitized by Google

PROSCENIUM.

En, lector studiose, feriantis ingenii fœtum, qui tua eget benigna animi propensione, ut eo quo prodibat die, mollia pasturus amantium otia, non periret mediis in angoribus præmaturæ mortis; et cui vel ut emergat perennaturus, satis ni acutæ naris hominum benevolentia, saltem eorum oblivio aut inscitia. Neu carpas, quæso, quod tam levidense ac illud argumentum suppleverit remittenti quædam otii momenta: non etenim continuo tenore queunt gravia pertractari, alterneque nonnunquam juvat labori mista quies; sique exempla pacem neganti quæ à consilio distrahant, sint afferenda, Achilles, decus olim Argivæ gentis, cum descenderet ex ovali curru, gaudebat quandoque equitare in arundine longa; et

Ludicra facundo quondam placuere Maroni,
Materiemque joci præbuit ipse culex.

Non me latent sermonis Latini ambages, quot et quantis obsepiantur vepribus viæ,

Digitized by Google

quæ sua sit verborum inconcinna structura spurio quem loquuntur hodie in plerisque Europæ gymnasiis, scriptitantve foro causidici, vel subselliis physices theologiæve studiosi : at me nec te quoque fugere possunt lepores, ne dicam primævorum auctorum qui in sæculo quod dicunt aureum philologi vixerunt, sed etiam recentiorum cultus et elegantiæ, qui, ampla eruditione dotati, opibusque hinc et inde conscitis, scriptis insperserunt flores qui rudem intricatamve materiem uti acceptiorem, ita utiliorem confecerint. Eo sine duce a teneris unguibus informatum, generique vitæ deditum in maturioribus quod sibi vernaculum, ut ita dicam, devinciebat, et nocturna diurnaque manu versantem farragines, non me latuerunt mollium poëtarum florantia, et quidquid venustatum addiderunt inventis olim ac nuper rectæ orationis cultores. Hæc erant totidem animi à pluribus curis laboribusque fracti delectamenta, quæ, ni nubes fugabant sudo aëre restituto, saltem onus humeris impositum levius, imo vix mihi perceptum vertebant. Sic sæpius ineundo societatem cum vita functis, studebam illorum moribus ritibusque, et tot

Digitized by Google

quot occurrebant gratiori specimine comminiscendo, illa notabam quæ me potius recrearent ab instituta vivendi ratione quam aliis profectura crederem, quorum utilitati vel oblectamentis huc usque nondum incubueram.

Severiori sorte actus in illis ancipitibus aleis queis Gallia recèns contra seipsam contraque fere omnes Europæ populos de propriis tum dominio, tum regimine dimicabat, improvise sulcavi æquora juvenilibus annis arata, et iterum terras invisens *alio sole calentes,* deprehendi hominum mores, ni magis, saltem æque perditos esse ac in nostræ Europæ quibuslibet plagis, etsi inficias de his ivissent recentioris ævi multa inscienter blaterantes philosophi. Horrui etiam quam longius Bellona furens, accenso in nostris finibus discordiarum fomite, iverit efferis armis ad hominum cladem intentata, sic ut Eoæ gentes, de Europæis negotiis minime sentientes, nihilominus districtis gladiis pyriisque tonitrubus turmatim catervatimque procubuerint. Tanta quandoque volvit incendia late vel levis scintilla nostris in oris ventilata!

Digitized by Google

Dum carcere natatili, oblitus quibus contigisset stabilius domicilium, securus ab omni assultu sub vexillo Americano, per varia discrimina freta legerem dissita, primorum annorum relegendo vias, et quælibet lapsa comminiscendo, iis pensis subsecivas vitæ ut plurimum tædiosæ horas fefelli. Hinc dulcia miscendo acerbis, me rursus habuerunt asseclam fautoremque novem Phœbi comites, meque præcipue traxere Erato et Euterpe. Sic, interciso ordine, quædam prioris afflatu condens et plura in scriniis abdita decerpens, sensim sine sensu ordinata fuit hæc fabella minimi pluribus, dicam, pretii, sed quæ tamen poterit quibusdam Latinæ poëseos cultoribus non ita sua laude fraudari ac censuisset ignobile vulgus. Ast, ut decerptis ex Ovidio meisque utar metris,

Quod facerem versus inter fera murmura Ponti,
Africus et Boreas obstupuere magis.
Sic mihi detinui mentem curasque fefelli,
Experiendo metris tædia ferre viæ.
Ipse ego nunc miror tantis animique marisque
Fluctibus ingenium non cecidisse meum.

Digitized by Google

Seu stupor huic studio sive est insania nomen,
Omnis ab hocce novo mens mea tuta fuit.
Cumque sit hibernis agitatum fluctibus æquor,
Pectora sunt etiam turbidiora mari.
Quo magis his debes ignoscere, candide lector,
Si spe sint ut sunt inferiora tua:
Carmina non etenim nostro scribuntur ut ante
Museo, nec adest quæ fuit ante quies.
Jactor in indomito brumali luce profundo,
Ipsaque cœruleis charta feritur aquis:
Improba pugnat hiems, indignaturque quod ausim
Scribere se rigidas incutiente minas.

Sed ut magis dilucidetur hujusce opusculi compago, en curtam accipe illius explanationem.

Zoroas Epheso natus ex Alcimedone Megariensi avis clarissimo, et Athenis, ut mos erat quibus res non angusta domi, scholam Platonicam secutus, præceptisque optimi philosophi imbutus ea ætate qua virtutis semina germinant, annis provectior asseclam se sistit Epicureæ doctrinæ. Sic qui prius ingenue

vixerat juvenis, ut ferebant dogmata sapientis magistri, cautusque foverat animum utiliore cibo, mox in castra Epicuri transitus, molliori, imo solutiori genere dies ducere non solum cœpit, sed etiam coæquales in suam allicere sententiam et solertibus argumentis eos confirmare, ut ex poëmatis proasmate dilucidum fit. Miletum docendi causa itus cum Cerealia mox peractura essent, visaque Deæ Sacris Pancharite, filia Cleonis olim urbis myriarchæ, dum munera dicaret aris, mox arsit eam, et studio puellæ invisendæ dehinc continuo incubuit. At ratus se nullatenus prospere acturum ni prius Venerem, cui nondum etiam nunc libaverat, in partes suas obsequiosam verteret; incuriæ pœnitens, Menippo consiliis intimo injuriam fatetur, et statuit Deam placare oblatis. Inde preces quæ ita felici dantur eventu, ut mater Pancharitis, eximiis natæ consulta ingenii dotibus, et cupiens eam melioribus imbui philosophiæ principiis, audita Zoroæ mira de iis doctrina, non solum decrevit ei fidere natam, sed in familia sua eum admittere, ut plenius inde et frequentius fluerent proli documenta. Recepto de hocce ad-

Digitized by Google

implendo munere gratissimo nuntio, in lætitiæ voces juvenis sese expandit. Admissus, et mox fungens seorsim officio, discipulæ præponit verba scopo consona, quæ cum non intellecta verterent irrita, ipsi fatetur se nimis inconsulte egisse dum partes magistri erga eam suscepit, et, ne fata deinceps eant utrisque lugenda, adprecatur illam ut citius ipse ab officio manumittatur. Respuit petitum Pancharis, præceptoremque præmunit contra invidiæ stimulos; sed, cavendo famæ, admonet eum se cum ipso dehinc privatim studio non incubituram. Zoroas, de male affecta voluntate eam arguens, argumenta subnectit, scilicet ut consulat formæ et annis; spe tamen ita fluitat, ut, vespere subdio meditando, omnes ruris honores participes efficiat, dum varios revolvit casus quibus irretitur. Discipula eum reprehendit de præconcepta sententia, nec tamen eum disjicit. Inde præceptoris proseucticon Cupidini ut vulneret jugalis fœderis rudem. Confisus in visione quam somnians habuit noctu, amorem tandem plenius patefacit, cui recèns icta morem gerit Pancharis, victam se confitendo. Hinc series amatoriorum collo-

Digitized by Google

quiorum, doctrinaque de amoribus, de generatione vegetantis tum animantis naturæ. Hinc lusus juveniles, doli, et ea lasciva tentamina quæ libandæ Veneri præeunt, et pressius ad oblata Deæ ferenda frigidiores non solum invitant, quinetiam dicto citius accendunt. Hinc delibatis ignea epinicia, polychronia et recordatio, quibus lapsas voluptates iterum atque iterum sibi revolvunt. Hinc tandem deliria in quibus expanduntur voces fruituris consonæ, juramenta quæ æternum spondent amorem, metus ne ignes latitantes palam prodantur, imprecationes contra rigidiores Cupidinis detrectatores, migrationis desiderium, et ea communium argumentorum series qua callent amatorii carminis scriptores refovere languentis lectoris sensus et eum narrationis filo appensum longius et gratius detinere. At ea qua vivimus terra nemo est utrinque beatus : sic quamvis Zoroas pleniore fruatur amatæ possessione, nihilominus ulteriora fovet vota. Altrinsecus Pancharis intus monetur acre quid nutrire cum magistro pactum fœdus amicitiæ, et de his suspicionis Iphiæ amicæ Samon ituræ habet verba, eamque pre-

Digitized by Google

catur ut Sibyllam consulat num felici eventu, vel secus, donabitur fœderatis icta fides. Torquet eam infausta responsio; et quidquam mali de his præsagiens ejus magister, erumpit in exprobrationum voces. Tandem fœdus solvit Pancharis, et, conscientiæ stimulis acta, in febrem incidit jamjam ad Orcum eam missuram. Unde Zoroæ luctuosi planctus, ululatus, epicedium, quibus fides decessæ palam asseritur. Ad neglectæ philosophiæ lenimina se vertit; sed intus alendo sibi dolorum scaturiginem, et cum ei cuncta passim evanidas voluptates commemorent, fortuito ruri commonitus ut seriem malorum abrumpat Leucatæ montes adeundo, morem gerit consilio. Attamen, antequam se mari det præcipitem, de vitæ incommodis et tædio sermonem habet, invocatisque omnibus jugi Numinibus, sponte mox demergitur.

In hocce carmine ordinando me procul dubio criminabuntur plurimi, imo dente Theonino circumrodent, quod fontibus lutulentis hauserim prurienti juventæ pocula in ipsius perniciem certius itura. Esto nunc

Digitized by Google

mihi illorum pace, velim, istud facinus : at

Nil nisi nota prius vulgataque furta canemus
Omnibus, unde sehedis jam sua noxa minor.

Si aliunde lepida hujusce generis commenta, cultiori obsoletoque stylo exarata, in quidquam quirent esse erudito lectori nociva, me sontem delicti iisdem rationum momentis ac olim Ovidius Naso expediam :

Nil igitur matrona legat, quia carmine ab omni
Ad delinquendum doctior esse potest.
Quodcumque attigerit, si qua est studiosa sinistri,
Ad vitium mores instruet ipsa suas.
Non tamen idcirco crimen liber omnis habebit :
Nil prodest quod non lædere possit idem.
Sic igitur carmen, recta si mente legatur,
Constabit nulli posse nocere meum :
Omnia perversos mores corrumpere possunt,
Stant tamen illa suis singula tuta locis.
Crede mihi, lector, distant à carmine mores :
Si mihi musa salax, vita pudica fuit;
Nec liber indicium est animi, sed honesta voluntas,
Dum bene mulcendis auribus apta cano.

Digitized by Google

Verumtamen, delicti quidquid sit opprobrium, si paulisper attendatur ad genuinam operis supellectilem, nil in ea invenietur quod non in naturæ ipsius diverticulis reciderit; nil quod humanæ sit extraneum propensioni, cujusque sit curiosus quisquis primum et proinde acceptissimum Cythereæ profert servitii debiti pignus. Imo, si accuratius intimeque pervolvatur operis medulla, non in ea vitiosa contrariaque rationi occurret libido pravis comitata asseclis, cæca turpisve se prodet luxuries cujusque virtutis inimica, deliciis, lenocinio pellicatuve perdita, et cui pedissequæ sunt semper sollicitudo et egestas; non ulla quæ sub pudoris larva in recèns editis fabulosis figmentis vernacule scriptis lectorem honesti cupidum eo longius devium ducunt argumenta : sed obviam ubique eunt naturales animi affectus, mollis eorum eadem sentientium sympathia, mentisque vivide percipientis succussus nedum fugaces, quin potius ita radicati ut in luctuosam cito citius amborum finem facesserint. Unde eumdem habebo sermonem ac prius Joannes Secundus Hagiensis de Basiis olim bene meritus.

Digitized by Google

Quid vultus removetis hinc pudicos,
Matronæque puellulæque castæ?
Nulla hic furta Deûm jocosa canto,
Monstrosasve libidinum figuras,
Nulla hic carmina mentulata; nulla
Quæ non discipulos ad integellos
Hirsutus legat scholis magister.
Inermes cano basiationes,
Castus Aonii chori sacerdos.
Sed vultus adhibent modo protervos
Matronæque puellulæque castæ,
Ignaræ quia forte mentulatum
Verbum diximus, evolante voce.
Ite hinc, ite procul, molesta turba,
Matronæque puellulæque turpes:
Quanto castior est *puella* nostra,
Quæ certe sine mentula libellum
Mavult, quam sine mentula poetam!

Ne igitur verte crimini, mi lector, hosce, quos quandoque lascivo retuli sermone, errores humanæ naturæ insitos; nam si in quidquam peccaverint mei actores, dant ipsimet sævius pœnas præmatura eorum morte mediisque nimium rigidæ conscientiæ angoribus. Cæte-

Digitized by Google

rum, si non osor blandioris Veneris cultus, nec asper censor eas illis qui colla obsequiosa sub molli pergratoque jugo ferunt, librum pervolve; sin minus, abjice et ignosce.

P. PETIT-RADEL. D. M. P.
E Gangaridum oris.

Sextili 1796.

Digitized by Google

Digitized by Google

PROLOQUIUM.

Ille ego qui, nutu prolectus Apollinis olim,
Ævi prima dedi tempora quæque mei
Arti Pæoniæ, plaudente Machaone cœptum;
Cuncta Therapnæis mysta deinde Sacris
Secessu trutinans, calamoque subinde fugaci
Multa schedis fidens unde tuenda salus,
Vulgavi quæcumque juvant juvereve quondam,
Materiem versans nocte dieque meam.
At nunc jamdudum vario discrimine quassus,
Effera navigio cœrula sulco levi
Exul, et, heu nunquam vertissent omina Divi!
Lustrando terras quas oriendo cremat
Sol fervens, vacuæ solor fastidia vitæ
Promulgando procis qualia fata prius
Duriter egerunt, ut erant vulgata per illas,
Pubentes meritos jam meliora sibi.
Sic toties mittunt scelerata Cupidinis arcus
Spicula quæ citius, si latuere, necant.
Hæc secreta cano nusquam retegenda profanis;
Sacra sacris, ideo quæque recludo piis
Vocibus antiquis, quod eis vix usa juventus
Nunc plebeia meis non erit apta metris.

Digitized by Google

Impius ergo Jovis pereat jam fulmine tactus,
Qui vulgi lingua verterit illud opus.
Non monumentum equidem statui diuturnius ære,
Parcere cui semper possit acarus edax.
Hæc scio : sed quædam nihilominus otia docti
Hi numeri recreent, hinc mihi primus honos;
Vel legat in scamno, cui nuper Apollo renidet,
Virgo sub adventu sollicitata proci,
Non moror; atque dabit Paphio mea tempora myrto
Tunc Erato, nutum Cypride dante suum.
Palleat hinc operis quisquis foret istius osor,
Quod veniet forsan post mea fata decus.
Omnia nam majora creat venerata vetustas,
Exoriturque dato sic sua fama rogo.
Sit tamen ipsa memor regina Lutetia vatis
Serius aut ocius, gratus adibo Stygin.

Digitized by Google

POËMA EROTICON

DE AMORIBUS

PANCHARITIS ET ZOROÆ.

PROASMA.

Hortatio Zoroæ ad vitam hilarem ducendam, alternandi lusus, variandi amores; non credendum esse mulierum fidei, sed fruendum præsentibus, parum curando de futuro; cuique more suo vivendum, et morti præripiendum quod tandem illa præripiet.

HEUS procul hinc curæ mordaces, omnis et exspes
Sollicitudo, metus nunc procul omnis eat;
Succedantque joci, choreæ, Liberque Lyæus;
Lætitiæque fluat, dum licet, hocce brevis
Jam spatium vitæ : salibus studeamus, amici;
Morigerosque bonus nos Epicurus amet.
Morosos et alat rigidi doctrina Platonis,
Quæ resecat cunctis sensibus aspra cibum.
Alternemus eos lusus, variemus amores;
Unius et caveat quisque subire jugum :

Digitized by Google

Quippe sub imperio torquet Cytherea tenaces
Jurisjurandi, nec sinit esse moras.
O vaga sors hominum, muliebri fisa loquelæ!
Quot sibi compingunt damna ferenda dein
Quos sociata fides perstringit! namque puellæ
Quam spondent, fluvio scribere sæpe solent.
Ergo, Menippe, frui præsente memento, nec isti
Te sine consimili sorte deinde premi.
Quid tibi cras referet, lucrum dabit anne petenti
Sors, vel erit cœptis durior aura tuis,
Desine semper hians exin haurire futuro,
Cum sua quæque dies cuilibet apta ferat.
Cantemus nostros cithara resonante vicissim
Ignes, et Baccho prælia gesta bono.
Clamitet ignarum vulgus carpatque maligne,
Quisque sibi vivat qualiter ipse volet:
Instat enim precibus nullis flectenda senectus;
Et jam quique sumus, despoliare parat.
Ergo neu quisquam soles consumat inepte;
Quin bona quæ morti sunt rapienda, sient.

Digitized by Google

ICONISMUS.

Zoroas, visa Pancharite, desciscit a proposito. Virginis dotes. Cassa sunt philosophiæ præcepta contra Cupidinis spicula. Apostrophe ad Venerem. Questus de veneni viribus quod omnes eludit artes. Resolutio Zoroæ.

Ah miserum! præcepta datus desciscere cogor,
Cum qui cuncta regit, me quoque vicit Amor.
Quem non pertigerit Pancharitis usque venustæ
Fama, cui fuerat lucis origo Cleon?
Quam mater molli complexu nuper alebat
Læta toro, famulis optima cura suis;
Quæ nunc expandens nascentia dona juventæ,
Esca fit innuptis illecebrosa procis.
Sic rosa vere novo manifestat hiando lepores,
Quam zephyri mulcent, educat imber aquis.
Quomodo suscipiam tibimet narrare, Menippe,
Omne quod eximii virgo pudica fovet?
Si redeunte die spatietur, amœnior adstat
Lucifero radios excutiente suos.
Munditie propria simplex si vespere prodit,
Talis in occiduis mergitur Hesper aquis.
Illius audieram laudes, nihilominus inde
Nulla videre mihi nata cupido fuit.

Digitized by Google

Ast ubi pronuper vidi Cerealibus illam,
Ut perii, et, miserum, jam nova jura vetor
Prodere queis merito cunctis laudata venustas
Me subigit, quod ei sit comes usque parens.
O ratione potentior incentiva voluptas!
Sentio nunc æstus ire per ossa tuos,
Sentio non notis uri præcordia flammis,
Unde ruina brevi ni miserata juvet.
Gratia quæ fuerit donis ostensa ferendis
Pontifici! Quales serta serendo focis
Et pudor et cultus! Facili quam voce dicabat
Tritica! Quam melius cantibus usa fuit,
Dum pulsando lyram, carmen mollibat eburna
Docta manu, nitidis sæpe recursa sonis!
Ille erat incessus niveæ, reor, ante Lacænæ,
Dum, succincta sinum poneque versa comam,
Priamidæ quondam rosea cervice refulsit:
Nec Cytherea potest blanda nitere magis,
Cum subvecta rotis superas ascendit ad oras,
Divorum læto verba datura choro.
Pygmalion iterum visa exardesceret illa,
Ipsius formæ gratia tanta nitet!
Quæ species! Quot eunt formosis ductibus ora!
Quis suus est oculis intaminatus honos!
Uda colorato prælucent labra corallo;
Et roseis passim gratia quanta genis!
Quin etiam cirris resplendet amabilis error.
An Galathea prius Cymodoeve dabant

Digitized by Google

Sic per colla comam zephyris ludentibus ire,
Dum pede concordi ter tutudere solum?
Brachia candidiora nitent florente ligustro,
Et sinus ipse manum mollis eundo vocat.
Vos quos fama vocat tabulas anteire vetustas,
Peniculus vester virginis hujus eat
Per varios ductus, et habebitis unde resultat
Nomen ad Eoas Hesperiasque plagas.
O mihi pernimium creverunt ipsius arma,
Ut dehinc tot dotum non meminisse queam!
Ecquid erit misero sophiæ studuisse caducis
Præceptis adeo, sicque Platonis itum,
Heu! toties ludos, animo didicisse furenti
Compositis rixis ponere vincla meo,
Si jecur arcitenens aurata cuspide læsit
Ipse Puer, necnon riserit inde dolo?
Me petiit furtiva lues, nunc ipsa veneno
Depopulat venas intus eundo magis.
Me miserum! nec adest medicina malo, vel inanis
Quæque sit. Alma Venus, siccine plectis eum
Qui nondum supplex Paphias processit ad aras,
Qui metuens legum non tulit ante tibi
Thuscula, ne traheret cultus tua jura paventem?
Parce, precor, fasso jam tibi grande nefas.
Non ritus sprevi, nec eos qui festa colebant
Amovi sacro munere, vera loquor.
Hei mihi! quam curis habeam mordacibus angi,
Si duci nostra voce puella negat!

Digitized by Google

Serpit atrox virus tacite stillatque per artus,
Corporis et vires quasque meando trahit.
Nil solitæ recreant artes, non carmine possum
Leniri, vacuæ carmina mentis opus;
Et mea, quæ fuerat tot amœnis cantibus apta,
Tibia muta silet, nec sibi vincla queit
Solvere lingua potens moduli : sic abstulit usus
Illa dein vitæ pars recolenda meæ.
Ignibus Idaliis urens versabor ad Idam,
Idalios fontes, Idaliamque Deam;
Mox, beneolente recèns redimitus tempora myrto,
Idálio ponam sacra roseta Deo;
Thuraque comburens aræ libamina fundam,
Ut veniat flammis esca cupita meis.

Digitized by Google

ANATHEMA.

Zoroas invocat Venerem ut sua citius vota secundet. Se fatetur captum à Pancharite. Questus de ipsius feritate. Ni juvet, se brevi ad infera cessurum esse asserit. Muneribus confirmat preces.

Alma Parens rerum, cujus nascuntur in orbe
Cuncta sub auspiciis, quæ bona cuncta paris,
Terrigenis, omnis naturæ lumen amicum,
Quamque colunt homines, quam coluere Dii;
O genitura maris, cunctæ genitabilis auctor
Virtutis, dubiæ pubis amœna salus,
Quam comitant Risus, Charites, Zephyrique Jocique,
Extera seu visis vel tua regna meas:
Nunc mihi, blanda Venus, liceat placare potentem,
Et commissa tuis cuncta piare focis.
Heu miser! ecquid adhuc spernam data jura Cytheris,
Quæ subeunt variis entia quæque plagis?
Ecquid adhuc tædas cæcique Cupidinis arcus
Expertus fugerem, pectore vulnus alens?
Pancharis, Ismarii castissima nata Cleonis,
Subvertit sensus, nec sinit esse moram:
Atque suos suspecta mali nunc semper inique
Avertit vultus, meque pudore necat.
Tempestiva viro, nihilominus odit amantes;
Quin plerumque diem fallit inepta jocis.

Digitized by Google

Sic formosa facem tacitasque Cupidinis artes
Excutit, et gaudens asperitate sua
Ridet amatores, minime commota periclo;
Atque feros mores mater amata probat.
Fausta Venus, faciles animis infunde puellæ,
Ocius ut votis vertat amica meis;
Et memor imperii nascenti auscultet amori,
Posthabeatque dehinc ignibus illa jocos.
Æstuet, et flammas foveat clam mater utrinque
Ipsius, et ullos non putet esse dolos.
Ni dederis, fecunda Parens, his esse beandum,
Meque velis uri spe sine, nullus ero.
Cesset Amor saltem memet vexare sagittis,
Et fixam lateri detrahat ille meo.
Turturibus geminis supplex confirmo precatum,
Non ut mactetur victima quæque tibi,
Cum tua non toleret genitiva Potentia cædem;
Ast bijuges ut ii colla benigna ferant,
Mox ubi concilium citius petitura Deorum,
Percurrenda rotis regna corusca poli;
Thureque Panchæo fument sacraria nostro,
Roreturque novo quod fero lacte focus;
Myrtinoque tholus serto colluceat isto.
Eheu! nunc abeo, tu miseresce mei;
Ah! miseresce, Parens, et edant ne sævius ignes,
Quam peto nunc damnis protinus affer opem.
Hinc mea sponte chelys meritos tibi solvet honores,
Carminibusque meis ibit ad astra decus.

Digitized by Google

ADMISSIO.

Mater Pancharitis fidit natam Zoroæ, ut eam edoceat musicam et sophiæ Platonicæ elementa. Laudat ei ipsius ingenium; spes quas concipit sub magistri tutela. Quæ documenta magis ei arrident. Apostrophe ad filiam et Zoroam.

Jam dudum, Zoroa, cupio tibi fidere natam,
Scilicet ut doceas utile quicquid erit
Tyroni. Primis elementis ante parata
Grammatices, ceras callet arare stylo,
Musicæque notas omnes et signa canendi
Quæque reperta prius, noscit et illa modos.
Calx erit imponenda bonis virtutibus hisce
Pandendo quot erunt hinc variata sinu
Munera naturæ vasto, quotuplexque resurgit
Fons motus, etsi motibus omne labet.
Traxerunt artes cupidam doctrinaque semper;
Jamque mea refert te dare quicquid opis
Est tibi : nam, credo, melius facunda Minerva
Subridebit ei, te refovente rudem.
Excitat ardorem studio vel iniquior objex;
Quoque magis tædet, tunc magis hæret ei.

Digitized by Google

Necte modum genio, vires dispone monendo,
Quæ sibi concessæ sponte profecto ruent.
Credo quidem quod erit fontes tractura sibimet
Doctrinæ quot erunt; indeque jure bonæ
Spes quas nunc foveo frugis, ducente Platonis
Tyronem sophia, qua decus instat ei.
Utile sic aliis exstans exemplar, itemque
Defuncti monitus ipsa sequendo patris,
Jam meliora dabit sociis insignia dotum
Quam quæ divitiis promeret hercle sibi.
Malo meam fastu natam minus ire superbam
Quam sit doctrina vel leviore rudis:
Lubrica nam fortuna modum sibi nescit habere;
Nunc nos extollit, mox quoque sternit eos
Queis prius arrisit nimia levitate molesta.
Hanc cupio possit dein mea nata dolis
Irridere sua, quotquot sint, arte retusis;
Et quæcumque cadent conferat illa scopo.
Non mora proposito vel erit tua prima juventus;
Judicium sophia cum veterascit eo
Tunc magis in vernante viro dictatque monetque
Utilius factu, dum rationis homo
Est compos divæ. Natæ documenta revolves
Ut libet; inde domum te secus esse juvat.
Gratia tanta meo memori non excidet unquam
Pectore, sed pactis plenior illa fluet.
Et tu, nata, meî studium, dulcissima rerum,
Nunc ætate viges qua sibi germen habet

Digitized by Google

Omne bonum semen; suscepto insiste labori,
Conciliaque penum qua tibi fenus eat:
Nam veniet tempus messis quo semina speras;
Paucaque si dederis, tunc tibi pauca metes.
Te Zoroas sophicis rebus dabit ipse deinceps;
Confice curriculum quod tibi sponte parat.
Sis memor ingentes census nil fenoris esse,
Ni possessori splendeat ante decus
Excultæ mentis. Zoroa, nunc excole plantam
Hancce novam vel aquis sæpe rigando tuis.
Dotibus hinc fecunda novis, ostendat eunti
Se fore tum genio tumque decore probam.

Digitized by Google

THEOPHANIA.

Apparet Cytherea Zoroæ, eumque alloquitur. Spes fovet, dummodo post sua eant fœdera Minervæ. Lætatur Zoroas de alloquio. Felix eventus. Sese jactat de novo titulo, et scisci-tatur à Theocrite et Bione ingenium quo vires acquirat eundo ipsius amor. Consilia ad amantes.

Discite, Cypricolæ, fuerit quæ prospera nostris
Sors precibus, necnon quæ sua finis erit.
Otia dando modis incondita verba terebam
Nocte sub hesterna; cum cito visa Venus
E media, veluti surgens sol, nube coruscans,
Et rosei spirans quicquid odoris erat.
Mox propius pallam retro dans ire fluentem,
Corporis egregii protulit omne decus.
Salve, cura Deûm, fatur; te quippe poëtam
Bassareus, Phœbus Castalidesque fovent.
En jam quas omnes referam reminiscere voces,
Inde quod his dabitur lætius ire viam.
Neu dubita proinde tuos perferre labores:
Qui patitur potitur, lex manet illa procis.
Omnia vota probo; sed eat nihilominus ipsa Minerva
Post Cypridem, nec habe fœdera nostra simul:

Digitized by Google

Compos eris propere voti, modo jura Cytheris
Nota colas toties comminuenda procis,
Quos malesanus amor ducit turpisve libido.
Dixit, et astra petens, tunc tria grana dedit
Et totidem frondes myrti quo vincta capillos;
Unde mihi subiit tunc novus ille vigor
Quo feror ad monitus tanto donatus honore,
Dummodo sint cymbæ consona vela meæ.
Dicite nunc et io, vel io clamate, sodales,
Cum capienda meis virgo cupita dolis.
Nunc viridi citius dentur mea tempora lauro,
Nam mihi palma dein clarior esse nequit.
Sic mea thura juvant, nec erunt jam dona ferenti
Irrita, cum fuerit gratia lata preci.
Utque bonis avibus nostri ducantur amores,
Pancharitis studii mater amica ducem
Me legit. Hisce palam cognoscite quique profani,
Fallere vix aris munera lata piis.
Flos animæ, lateri dabitur constantius esse,
Et prodesse magis dum tibi fautor ero.
O tituli solemnis honos, pretiosior ipso
Apta quod illius tunc alimenta trahet
Jam bene fotus amor! Submitte, Theocrite, verba,
Tu qui, pastorum molliter ante faces
Dulcisonus toties docili modulando cicuta,
Mellifluam vocem blandius ire dabas.
Tuque, Bion, suavis cantor sylvestris amoris,
Quo moriens læsus notus Adonis erat,

Digitized by Google

Subvenias operi, dictisque erotica subdes
Toxica quæ lento sint operosa gradu.
Lentus enim crescit melius, vires et eundo
Sic amor acquiret, stabit et ille diu.
O quicumque cupis sensus domitare puellæ,
Neu tibi Scytharum more colenda rudis,
Qui mox subsulti rapiunt subeuntque rebellem,
Omnia contempti dummodo præda cadat;
Queis placet amplexus mediis furatus in armis,
Nec curant lacrymas quas dedit acta minis
Olla gemens : sed eas lentus patiensque domandi
Quam melius flectes subjiciesque dein.
Tectus amicitiæ sit amor tuus ante recepto
Nomine; nec citius, crede, reposce lucrum.
Sint tua verba levi timidæ prolata susurro,
Ipsiusque ignes parce movere nimis.
Commenda speciem, nec erunt præconia castæ
Irrita, fide mihi, cui sua forma placet.
Quam miraris avis pandit Junonia pennas;
Sique siles, cunctas hæc cito condit opes.
Dein promitte : rudes capiunt promissa puellas,
Promissisque tuis junge subinde Jovem.
Nec lacrymis virtus deerit queis saxa moveres.
Ah quoties gemitus edomuere novas!
Oscula tunc liba summis male rapta labellis :
Rapta dabis rursus, ni tibi vana velis.
Ignivomis semper caveas ardoribus æque,
Sed cinere imposito condita flamma micet.

Digitized by Google

Sydereis eadem quoties ridebit ocellis,
Solve ratem citius, nam vocat aura, tuam.
Per freta sic semper securius ibis iniqua,
Et Venus ad portum ducet amica suum.

Digitized by Google

PROŒMIUM.

Colloquium Zoroæ cum Pancharite : ait se felicem fore formando ipsius mores colendoque ingenium. Jactat novas dotes quæ ipsi scaturient à studio philosophiæ. Quid sit philosophia. Præstantia Epicureæ doctrinæ super Platonica. Puellæ non nimis libris impallescant, ne invisæ efficiantur. Virtutes studiosæ undè dehinc ipsi allicientur proci. Prosequitur se felicem esse in dandis ipsi documentis; et subjecit se timere ne, nimis impar operi, ab incœpto cogatur absistere.

PANCHARI, sors tandem sanxit, materque Camœnis
Dedita jam doctis curat habere parem.
Sicque tuum cupiens animum formare sophorum
Moribus eximiis, te vovet ipsa meis
Artibus, ut fias melius tibi compos earum,
Quas doctrina parit cui bene tractat, opum.
Ipse superbus item nitidas producere dotes
Unde sit alter honos, omne perinde feram
Nunc opus ut quæcumque latent tibi semina, vertant
Jamque bono; et laudent, floscule, quosque tuos
Ingenii fœtus, lucrum labentibus annis
Laturos citius quo studiosa seres.

Digitized by Google

Inter Ioniacas natalibus ante puellas
Illustrem jamjam te nova fama manet.
O quam mox sophiæ studio incumbendo valebis,
Quæ mentem exornat judiciumque regit!
Neve putes, austera licet, quod et illa repellat
Omne voluptatis lætitiæve genus,
Et dulces sensim natos in pectore nexus,
Cunctaque sint proin gaudia danda fuga
Quæ male morosus Zeno damnaverat olim,
Et sceleri vertit nunc aliena cohors.
Ah! procul ista fides nobis qua tollitur omne
Delicium vitæ, qua quoque, crede mihi,
Ipsa juventutis caderet jam gloria nostræ.
Nos meliora manent, dummodo jussa bonæ
Pectore nunc docili nobis jucunda colamus
Naturæ, et leges quas tulit ipsa prius
Servemus semper. Porro præcepta sequamur
Qualia dictabat tunc Epicurus eis
Qui sibi mollitie supplebant otia vitæ.
Hinc te non sophiæ tanta Platonis agat
Cura dehinc, oro, mavis nisi moribus esse
Omnibus invisam, proptereaque malis
Proscindi verbis. Mater tua noluit illa
Te formem Scythica rusticitate feram;
Noluit et logices præceptis ire superbe
Mixtam discipulis quas ciet ipse levis
Laudis amor. Profusa scientia sæpe puellas
Efficit invisas indocilesque nimis

Digitized by Google

Horum quæ ponit poscitque domesticus usus.
Neve putes ideo me male velle tibi
Vertere doctrinæ quot erunt alimenta futuræ;
Sed tempestivos jam sibi quæque ferat,
Non fugio, fructus arbor, meliore juvabunt
Inde dati gustu, nec erit unde querar.
Dii tibi divitias largiti artemque fruendi
Omnibus, unde scatent fenora plura, bonis.
Grammatice polles, dialectica quæque perinde
Argumenta paras, prompta probare vices.
Quid mage? Præcellens virtutibus omnibus illis,
Esca cito fies percupienda procis.
Sic facie formaque simul spectabilis, atque
Moribus ingenuis ingenioque tuo,
Quanta cies cunctis contagia, quotque minaris
Heu, mala despectis! Quot bona jamque sibi
Ducet qui propere titulo dignatus amantis,
Fœdera miscebit confugietque sinu!
Nunc ego, dum pandis Charitum quoscumque lepores,
Felix, o felix ipse colendo novum
Florem quem miror vario splendere decore
Quotidie! verum viribus esse meis
Me nimio fisum credo, cum matris adhæsi
Ante tuæ votis; hinc et origo metus
Quo mihi deficiens, nec habens quid firmat inermem,
Forsan ab incœptis cogar abesse meis.

Digitized by Google

EFFUGIUM.

Diffidentia Zoroæ de se ipso; timores qui eum premunt. Nolit solvere conventa cum matre. Anxius hærendo consilium petit. Vellet abigi, imo suadet cui refert. Ni faciat Pancharis, saltem temperet à modulis aliisque lenociniis quibus ipse rapitur. Resolutio de abscidendis omnibus luctus causis effugio.

Quo mihi susceptos volvo magis ipse labores,
Hinc mage deficiunt quæ mihi nuper erant
Vires. Non proinde velim diffidere sorti,
Quæ jam cunctanti posset amica rota
Vertere præcipiti : nihilominus æstuat intus
Mens mea pene labans, meta nec ulla datur
Quas verso curis animo; nunc omnis abivit
Ante quies, subeunt non mihi nota prius
Damna, magisque mei crescunt in corde tumultus
Quos non tutantem jamque latere decet.
Sed licet ipse sciam quicquid prudentia dictat,
Panchari, vix possum sponte probare vicem:
Nam tua me nimium mater pertentat amicis
Obsequiis ut eam dissoluendo fidem.
Quæ mihi nunc quæro solatia promptius affer:
Sic a te clades auxiliumque fluent.

Digitized by Google

Ergo mitte procul miserum qui nescit habere
Jamque modum votis, et malesanus avet:
Nam vitanda tibi luctus occasio quævis,
Qua nunc, ni caveas, imperiosus ero.
Ast abigendo reum, læva tunc sorte dolebis
Donatum, nec eum, credo, minanter ages.
Mitte procul: quid enim mihimet jam, quæso, juvaret
Artibus et studiis te refovere bonam
Heu! alio forsan quanti sua palma valebit
Ignaro? Quid enim quo magis adsit honos
Dehinc præceptori? Recte tibi consulo vites,
Dum res ipsa sinit, quæque pericla forent.
At magis accrescet, miserum, dimissio damna
Quæque mihi; sed ea sic tibi stabit honos.
Viribus experior nimium fidisse, measque
Audaces operi supposuisse manus;
Et licet imperium sumam mihi, semper inermis
Servus ero. Sed, ais, convenit esse sophum
Inviçtum mediis in agonibus, atque probare
Ingenii vires nisibus usque suis.
O soboles divina, prius dimitte lepores,
Et putres oculos illecebrasque simul,
Quæ tibi tot ducunt juvenes ductosque resolvunt;
Et tua vox, citharæ quam sociare soles,
Temperet a modulis, animumque nec amplius ullis
Excitet Idaliis, ne moveatur amor.
Cesset et ire volutatim, totiesque tenore
Opposito mentis semper adire vias:

Digitized by Google

At potius pergat mœstis accentibus esse,
Vel sileat nimium perniciosa mihi.
Postulat ipsa parens, Musis cantuque parata
Quam primum Phrygiis ut doceare modis:
O ignara mali, cogit me tela ciere,
Quæ mihi pernimium sunt nocitura brevi.
Non hesterna fugit malecautam lectio nostra,
Qua, modulata leves sæpe fluendo sonos,
Ducebat liquidam mollis mea tibia vocem.
Sensibus emotus vix mihi tutus eram;
Semitonique quibus modulus minor ipse subibat,
Stravissent primi ni rediere soni.
His instans, moneor citius vitare periclum,
Dummodo jam studiis stes inimica meis,
Mœrendoque mihi sortemque dolendo malignam,
Ancipiti lingua dicere triste vale.

Digitized by Google

MONOLOGIUM.

Rure de sua sorte queritur Zoroas. Ipsius æstus. Accenditur magis ac magis assidens Panchariti. Obsequiosa erga eam ipsius benevolentia. Animi pathemata foventur, deque illis tacitis artibus submonet; sed cassa vertit monita feritas studiosæ. Irruptio in eos qui ignea tela contemnunt. Apostrophe ad ruris honores. Descriptio vesperis tum noctis adventantis; amariores fiunt nocte amantis mœrores. Sciscitatio ab Amore.

Sic secus hunc rivum, turba securus ab omni,
Actus et a curis quæ mea damna fovent,
Mœstus eundo viam, laricum sub tegmine mersus
Queis recrudescunt vulnera quæque mihi,
Hic tandem possum causas renovare dolorum,
Et nemus omne meis nunc adhibere malis.
Vos prius experti pennata Cupidinis arma,
Queis Puer ipse dedit mitius ire faces,
Noscite quæ dederit, Fauni, fortuna subire
Fata mihi dubia sic nimis acta rota.
Non vestras adeo sacratas tegmine sedes
Ut vellem cerros ducere voce feros;

Digitized by Google

Sed magis ut nostris resonent querceta querelis
Exoneremque meo pectore tristis onus.
Cymba velut pelago rapidis jactata procellis,
Quæ, postquam venti deposuere minas,
Jam dociles impellit aquas et lætior urget:
Sic ego jactor ea, semper alendo mihi
Igniculos dure meliusque deinde, puella,
E gravibus damnis ad meliora means.
Dii faciles, quid amara bonis, quid tristia lætis
Miscetis, nec eunt jam meliora pio?
Si vestrum miserere mali, si tangit amicos
Sancta fides, quid adhuc non tuleritis opem?
Sic miser aut felix solatia nulla resurgunt;
Tam nos impatiens intus adurit amor!
O infausta dies, nostris memoranda querelis,
Qua prius illecebris virginis actus eram!
Hinc mihimet periit ratio periitque voluntas,
Virtutis et egent quæ valuere magis
Arma. Nimis flagrate, tibi rationis in arce
Incassum contra tot mala quæris opem.
Da potius patienter eant quæ sistere velle
Res insulsa magis, nec foret inde quies.
Ergo, Cupido, dehinc astringe potentia vincla,
Sitque tuæ curæ qui furit intus amor.
Uxori Zephyri compar alabastrus odorus
Ipsius est vultus quem sibi risus alit;
Ex oculis abeunt faculæque pudorque vicissim,
Queis magis aversos allicit almus Amor.

Digitized by Google

Marmoris instar ei quamvis sint pectoris orbes,
Hi tamen inde magis mobilitate trahunt.
Vis duplex illos animat versatque nivales:
Ipsa cupido ciet, mox fugat ipse pudor.
Hos ego sic flagrans tranquilla mente videbo,
Nec sibi quæret iter per data claustra manus?
Ah! pereat quisquis lentus sic iret amando!
Ah! pereat cui sic ignis inanis erit!
Non rosa, Matutæ lacrymis gemmata rubentis,
Auris afflavit suavius ante suis,
Quam modo purpureo vanescens halitus ore,
Dum nos ad libros pensa diurna trahunt.
Nunc prætexo malos oculos ut, cominus adstans,
Aspirem ambrosium meque subinde beem.
Nunc adjuvo faces modulis risuve metuve
Ipsius, atque manus prendo vel apto mihi;
Felicemque magis credo me cum simul illa
Molliter obsequitur, nec dolet esse datas.
Dulcius o quanto gliscit mihi blanda voluptas,
Dum me fortunæ quasque legente vices
Ancipitis, lacrymis oculi rorantur obortis!
Tunc exsicco genas officiosus ei
Linteolo. Quandoque manus studiosa pererrat
Quo vocat incomptus sæpius ordo comæ.
Scilicet actutum deduco, deinde renodo,
Officioque moras, queis flet odora magis
Aura mihi, necto, vel acu sustento fluentem.
Si festuca levis forte sit acta suis

Digitized by Google

Intus palpebris, digiti mala quæque rependunt
Jamque mei : mulcent alliciuntque simul
Pœnarum auctores oculos et molliter urgent;
Intereaque calens aura flat ipsa faces.
Vel prætexo levem maculam præ dente trahendam,
Tunc mihi roscidulis explicat ora labris
Dentibus et nitidis lucentia; moxque Sabæas
Auras emittit queis calet ipse focus.
Si, studiis fatigata, caput donando supine
Liquerit ipsa humeris ante reclina meis,
Haurio felicis jucunda cibaria amoris.
Tunc animam quot alunt dulcia sensa meam!
Molle mei dicunt oculi plerumque loquaces,
Conandoque genu tunc revocare pigram,
Illam jam moneo quanto me versat amore.
Sed quid? Egone rudem, num potiusve levem
Culpabo? Citius segni languore resurgens,
Ipsa libros repetit quasque fugando moras.
Quod si forte scopo redeuntia misceo verba,
Tunc ex me mundi qua regione ferunt
Arma Getæ Parthive truces dum terga revertunt,
Sciscitat. Heu! jamjam quæ mihi, quæso, Getæ
Vel Parthi poterunt lenimina ferre fugaces,
Crudelis, morior dum feritate tua,
Nec dare prima malis curas solatia nostris?
O Puer arcipotens, plecte perinde ream :
Tu toties succurse procis, da jamque roganti
Ut currat nitida luce deinde dies.

Digitized by Google

Ah insulse! novi nondum versatus amoris
Illecebris, dubias, quæque fuere, vices.
Ridebis, lacrymasque meas questusque movebis
Ludibrio. Ignoras, heu malesane! rotam
Fortunæ instabilem versari semper eundo;
Sic qui nunc felix, cras erit ille miser.
Ut tu, nuper eram toties irrisus amoris
Tela; sed, ah miserum! quam mala verba luo!
Dispare adhuc nostræ quantum res sorte fuere,
Et sunt nunc ex quo me prius ipsa reum
Ducebat feritas, monitusque perosa cupido
Me proinde dabat sub ditione sua!
Ite, leves elegi, citius, vos ite soluti,
Dicturi quot alit pectore sæva meo
Et quantos ignes; superaddite deinde monendo
Me, licet hinc doner sydere forte malo,
Noscere velle vices ut erunt mihi : dicite tandem
Quo sua mens tepefit, sic mage nostra calet.
O vos sole novo flores quos sæpe revisit,
Vos quoque pars animæ, culta roseta, suæ;
Fraxine, tu toties et ei date vertice gratam
Umbram, cum strophio despoliata suo
Præ fervore, dabat, zephyris motantibus umbras,
Pectoris orbiculos jure valere suo :
Quin ego nunc possim veluti vos esse beatus,
Atque dehinc pateant quæ rapuere faces!
Sed juga Phœbus equis in Ibero flumine demit
Roscidus, et Vesper surgit ab axe diem

Nigrescente fugans; pastor nunc prata relinquit,
Et fontes gelidos, dum Philomela canit;
Et, calamo mulcente vias, ad septa reducit
Lætus oves, lentas sæpe vocante pedo.
Ipseque tardigradus cedens sub fasce viator,
Nunc revocat vires acceleratque gradum.
Æthereus Phaeton per inane recurrit ad antra
Nota jugi, pullos quo cibet ipse suos.
Æquora, tum tellus, auræ, sylvæque quiescunt:
Quæ modo cantabat, jam silet omnis avis;
Et natura dolens nebula vestitur opaca,
Solaque colluecnt purius astra polo.
Infaustas meditando vices mihi solus aberro.
Ah! saltem paucas fas sit inire moras.
Sic testes et erunt tenebræ quæcumque dolorum,
Forsan et inveniam quæ mihi larva gemet.
Sunt dulces lacrymæ quoties funduntur utrinque,
Et citius miseris sic mala fata levant.
Sed nox acta magis fuscis expanditur alis,
Et passim lemures jam sinit ire leves.
Dum sibi cuncta trahunt animantia fessa quietem,
Fallo vigil vitæ tædia quæque meæ.
Ardeo, nec lacrymis noster restinguitur ignis;
Mordaces curæ, tum dolor, ira, metus,
Intus rixantur tristes acuendo querelas;
Et pax sola venit me veniente domum.
Sic mihi mella fluunt ab eodem fellaque fonte!
Prodere decrevi corde quid ardor alit:

Digitized by Google

Sed cum verba fero, citius me ludit amice,
Assertoque meo nescit habere fidem.
Perfida, quid crucias miserum cum sola juvares,
Ac oculi semper nil nisi triste ferunt?
Per te sic moriar! moriar sine laude laboris!
Esto; sed, heu! titulus sit mihi mortis amor.
Hei! ubi quæ nuper pavit fiducia mentem?
Sic sibi nunc virtus irreprehensa cavet!
O Amor! ecquid erunt ab ea mea prospera fata,
Tum luctus, clades, vitaque morsque simul?
Ah! miserate malum, nostro succurre furori!
Da mihi, quæso, facem telaque sæva feris:
Nam meditor duros ictus; volo jura potentis
Imperii nosci, notaque jure coli.
Me miserum, quod eunt fluxis data nubibus illa
Vota quot ex animo dissiluere meo!

Digitized by Google

REVOCATIO.

Pancharis exhortatur præceptorem ut à proposito deflectat : nihilosecius spes aliquantulum fovet. Invitat ut amicitiam matris sibi conciliet. Resolvit non amplius clam edoceri nec molles cùm eo cantus iterare, ne amores male vertant utrinque.

Siccine vix notus, præceptor, abire putasti,
Omnes eximiæ spes resecando mihi
Doctrinæ! Prima genium tentata minerva,
Sperabam libris auxilioque tuo
Ulterius prodire, meoque labore cupitam
Mercedem studii posse merere mei.
Cunctane cassa mihi caderent, ipsoque recessu
Jam virtute tua sic spoliata forem?
Te precor, ah! depelle tua quod mente statutum;
Et prope me stando jamque resume vices.
Te mage enim subeo, credo magis esse futuri
Fœderis idcirco vincla fovenda mihi.
Quin etiam dictis Thebanæ vatis habenda
Si nunc certa fides, mutua fata regunt,
Nosque regent posthac nodo meliore probatos.
Hinc et amicitiæ vis nova forsan erit.

Digitized by Google

Ergo novis urge conatibus acer, et ausis
Persta. Jamque notos occupat atque premit
Livor edax, causasque moves abeundo cavillis:
Falli des illis, consiliumque nova.
Affectus matris tibimet conferre memento:
Exoptando bonis dotibus esse quibus
Prædives possit decorari jamque puella,
Cui myriarcha Cleon semina prima dedit
Vitæ, porro tui voluit confisa sagacis
Ingenii meritis, ducta deinde meis
Votis, ut addas laudi plerosque lepores
Quos et habent Musæ, quos et Apollo fovet.
Præterea cupiens mores formari more sophorum,
Ut mihi causa boni nulla recisa foret
Quod doctrina parit, linquit tibi quis sit habendus
Dux studii, quanquam docta Platonis ei
Nunc præcepta magis placeant. Quæ gratia facti,
Cum bene cesserint tot documenta mihi!
Quot tituli, quot erunt grates, quæ causa fovendi,
Si probat affectus illa deinde tuos!
Invigilando bonis studioque secuta perenni,
Sive domo præsens aut abiisse putes,
Me vult esse tibi tecumque vacare Camœnis.
Sed tua verba prius me monuere satis,
Ut possim monitus exin audire seorsim.
Qui te moverunt percutiendo chelyn,
Dum tibi cantanti stabam, modulosve sonosve
Promere non iterum clamve palamve decet:

Digitized by Google

Quin potius molles cantus vitemus et illos
Qui possent citius subdere forte faces.
Libemus Musis oculis sub matris amatæ,
Stante vel hinc propius, quæso, sorore mea;
Et sic ducamus feliciter otia vitæ,
Ambobus cauti ne mala fata cadant.

Digitized by Google

MEDELA.

Sciscitatur Zoroas num vera sint quæ referuntur de Seleni fonte; nempe ab eo sanari Cupidinis vulnera. Eum adire, aquas hauriendi causa, statuit. Ulteriora de feritate puellæ lamenta.

VERANE quæ dederat scriptis antiquior ætas,
Argon inumbratam non procul esse sacra
Selenum scatebra clarum, velut altera Lethe,
Qui potis Pueri vulnera sanat aquis?
O fons, grata bonis virtutibus hisce requiram
Munera, sponte mea ne periisse ferar.
Ad querulos latices citius mihi fontis eundum,
Ut simul a domina sospes et ultus eam.
Dum miror ductus, instar teli avolat hora;
Attamen in ipsis stat mihi causa luis.
Si sejungar ea, crucior magis; occidit illa
Absens vel præsens : sic fluitando premor.
Si præsens, citius vellem vitare trahentem;
Absentem revocant quæ rapuere faces.
Vicinus morior, morior magis ipse recedens,
Pellere nec possum quæ fugiendo vocant.
Nil habeo quod eas possit restinguere flammas,
Queis pereo similes nil movet intus ei.

Digitized by Google

O Selene, precor, largos de fonte propina
Haustus, quod tandem solvere vincla velim.
Sin minus ista dies lacrymis erit ultima nostris,
Hinc procul exitio commoriendo meo
Lætius ibo Stygin versans in pectore curas,
Si sinit hic languor me male semper edat.

Digitized by Google

CONSILIA.

Impedimenta quæ occurrunt Zoroæ, unde prohibetur exsequi data recèns consilia : se esse inhabilem tanto operi. Invitat Pancharitem magis studere propriis affectibus, audireque Cupidini, sed cavere à ficto amore. Moras amori non nectendas esse dum favet ætas ; tempus non perdendum in studiis. Genus studii quod ei competit. Quod melius sapere debeat Lalage. Laudatis forma et ingenio discipulæ, addit se fore felicem si solo remuneretur amicitiæ titulo.

O quam fonte fluunt facili tua verba! quot autem
Se sistent obices, si sequar illa, mihi!
Heu quid! quotidie videam mirerque lepores,
Panchari, quosque tuos spes refovendo meas,
Cunctaque prodirent falsa sub imagine vota,
Nec nostris esset cognita meta malis?
Non potero tot amara mihi tolerare pericla,
Semper in exitium quæque fovendo meum.
Nunc ætate vires, matura viris et amori,
Qua mens eloquitur jam calefacta novis
Ignibus. Ah! studeas propriis affectibus, atque
Accedas moneo semper amica bonis;

Digitized by Google

Indignansque jugum quod amat sibi virgo subacta,
Ne spernas illud, teque Cupido regat,
Fœdera cujus habent duri nil, imo placebunt
Nota semel quando notior illa fides
Quæ jungit similes æquali sorte probatos.
Ast caveas ficto qui mala sæpe fovet,
Et mage tractatu facilis, nunc hortor, amore;
Sedula tu caveas, nam sibi virus habet.
Neu tibi consilium labi patiare recordans
Quot bona, si serves, ducere sæpe potest.
Dum juvat arridentque genis quicumque lepores,
Neu soles igitur desidiosa teras.
Ipsa tui facies rugis perarabitur olim,
Lapsaque tunc frustra tempora flebis anus.
Ah! quantos novi, premeret cum prima senectus,
Mœrentes vacuos transiliisse dies.
Quid formæ majore rosa donatur honore?
Et tamen illa vetus nil sibi floris habet.
Hinc carpenda rosa est quoties licet ungue furaci;
Nam, si negligitur, turpior ipsa cadet.
Ne male vesanam ducat temerarius error;
Unius hinc studii, nempe placere, scopus.
Diva Venus dictat formosis jura puellis,
Quæ si despiciant, jamque perire subest.
Hinc doctrina tibi quantum servire decoris
Dotibus, et studiis sit sua meta tuis.
Nota tibi Lalage pulcherrima nata Myconis;
Nota tibi doctæ quæque dedere decus.

Digitized by Google

Rebus in abstrusis blandos disperdidit annos,
Inscia delicii quod sibi ferre potis,
Dum fugitiva dies speciosius ire sinebat.
Nunc Lalage mœrens artibus ipsa suis,
Invocat incassum Pueros, Puerique recedunt.
Inde tibi monitus qui sua lucra ferunt.
Ah! melius sapias hodie, meritoque fruaris
Imperio notos quo regis, oro, tuos.
Est tibi forma decens, ornant te Palladis artes,
Gloriaque a claris clara refulget avis.
Fortunata magis, fuerit modo fidus amicus.
En ego : jam fidens vocibus esto meis;
Nam me blanda tenet semperque tenebit imago
Ipsa tuî. Dictis nulla venena latent
Jamque meis; ergo liceat mihi vota fovere
Mente mea tacite quotquot itura forent.

Digitized by Google

REPREHENSIO.

Obsurdescit Pancharis Zoroæ : se ignorare addit delectamenta quæ fovet Cupido, et quas procus ei afferret; se ituram quo vocat Apollo, de aliis deliciis parum curata. Monet se male affici mollibus verbis, et præceptorem nimis cito exoptare quod aliquando parit notior fides. Probat amicitiæ titulum, et ne aliud speret, præloquitur.

Quo modo prolati tendit sermonis acumen,
Quidve tibi speras mollia verba satus?
Te nimis arbitror sana ratione valere,
Ut vétitæ fini dicta referre velim.
Tota libris Musisve vacans huc usque libenter,
Unde meæ menti sint alimenta rudi,
Ignoro quali forsan donarer amore,
Si me nunc Paphius læderet ipse Puer.
Nec mage quæ placitura forent, ignara favorum
Quos procus afferret me renuente jugum.
Hæc curata parum linquo quæcumque futuro,
Quod bene me dubiam, spero, docebit eis.
Nunc meliora sequens, ducor quo doctus Apollo,
Quoque magis sophiæ me documenta vocant.

Digitized by Google

Hæc mihi sufficiunt et alunt me messe feraci,
Et recreant nigro tempore sæpe gravem.
Dummodo me videant vultu ridente Camœnæ,
Atque chelys resonet quæ docuere mihi,
Stulta vocer, patiar, nihilominus acta labore
Qui prius haud frustra tot mihi duxit opes.
Non ventura premunt : studiis intenta cupitis,
Quid mens insidiis decipienda foret?
Neu magis ergo rudem tenta mulcere loquendo
Plurima proposito non reditura tuo.
Desine jamque querelarum, tractemus et alta
Doctrinæ, nec Amor vindicet ulla sibi
Argumenta : tibi notum latitantis nulla cupido;
Vel si nascatur, mox abit unde venit.
Sint igitur deinceps studiis tua consona nostris
Verba, nec hinc tacitis utere, quæso, dolis
Qui possent ambos subvertere crimen alendo.
Perdidit ah quantos insidiosus Amor!
Cede meis potius monitis, nec gaudia quære
Quæ quandoque fovet notior ipsa fides.
Quis circum pagos luctator cursitat audax,
Cui sit conditio dulcis habere dein
Præmia jam palmæ, quamvis immunis agonis
Pulvere, si possit laudis amore regi?
Nunc tibi sufficiat quod eram prius ipsa fovendo
Fœdus amicitiæ quo mihi tutor eris.

Digitized by Google

TIBIA.

Hortatio Zoroæ ad tibiam ut molliores edat sonos et trahendæ virgini aptiores. Invitat eam, spem fovens ab Arionis, Amphionis et Orpheos successu. Supplicatio ad Apollinem ut inspiret modulos quibus Pancharis incalescat.

Incipe Mænalios mecum, mea tibia, cantus;
Incipe, nec cessa mollius ire sono.
Poscimus, o dulcis requies, plerumque sub umbra
Si tecum quidquam lusimus ante boni
Secure, flandoque rudes demulsimus ornos,
Quod rursus dicas qui placuere modos.
His recrea nostramque move pronuper amicam.
Dicitur Amphion saxa quadrasse chely;
Mox et Arioneo delphin per cœrula cantu
Advenisse, novum qui sibi lætus onus
Tolleret, et tutum terris vectaret amicis:
Orpheus et Ditem mulserat ante lyra.
Ergo age, sume vices mulceque meam, sed in illis
Siste, precor, modulis unde sit acta magis.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, cantus;
Incipe, nec cessa mollius ire sono.

Digitized by Google

O dilecta Jovis proles, numenque decusque
Vatibus Aoniis, cui coma flava nitet,
Semper honore novo, jamjam te siste vocanti,
Daque dehinc voces leniter ire meas,
Pareat ut votis versetque subinde puella
Me spe, ne misere succubuisse ferar.
Tu me per Pindi fontes collesque nemusque
Duxisti, nec erat vilis eburna sono
Auribus ante tuis, nec adhuc mea tibia sordet.
Ipseque si teneri carminis auctor eram,
Hæc tua sunt; numerumque tuo superadde favori,
Afflando modulos queis foveatur amor.
Incipe Mænalios mecum, mea tibia, cantus;
Incipe, nec cessa mollius ire sono.

Digitized by Google

RESIPISCENTIA.

Zoroas se reum fatendo audaciæ, culpam refert Panchariti. Se non posse eam videre et cum ea colloqui quin capiatur : se absolvendum fore si conscia verteret suorum leporum. Eam comparando Veneri et Dianæ, deprecatur illam ut non sit ei tam adversa. Promittit obsequium, sub ejus vexillo dimicaturus, et sic dignum fieri præmio. Apostrophe ad spem.

HEU mihi! quid volui, miserum, ceu floribus Austrum
Perditus intulerim mellificisve boves?
O nimis esse reum dicam me, Panchari, fando
Quæ sensus acuunt spe sine quosque meos
Illecebras; sed erat tibimet non culpa dolenti,
Quæ tot vel tantis dotibus usque nites.
Te videam tecumque loquar, nec victus abirem?
Et Parii durus marmoris instar ero?
O scelus! Hinc desiste, precor, studiosa monendi;
Non me, sed divam carpe perinde Cyprin,
Quæ tibi dando suo lumbos prædivite cæstu,
Ipsa dedit dotes quæ valuere nimis

In subducendis etiam virtute notatis
Asperiore sophis. Hinc mihi læva fluunt.
Ah! si mirari posses quoscumque lepores,
Unde tibi constat pulchrior oris honos,
Victa manus ferres citius, nec verba repulsæ
Aspera prodirent quæ facis instar erunt.
Vincis enim forma, sunt apti lusibus anni,
Oraque sunt oculis insidiosa meis.
Sit pharetra ex humeris, fies mox pulchra Diana;
Si succincta genu, pectore nuda, Venus.
Nunc igitur menti veniat sententia qualis,
Conscia percepti jam, foret illa tuæ.
Docta dehinc sensu, nimia patiare gravari
Neu me sævitia, sed mihi parce potens.
Non Tyrrhena procis genuit te mater acerbam
Penelopen; pallor flectat, ocelle, meus.
Quod si quemque prius vicerunt Alitis arma,
Quid mihi devicto crimen amoris erit?
Sic oblita nefas, mitis mox, spero, revertes;
Nec dabitur pœnâ, te miserante, reus.
Vera notas semper merces assecla laboris
Assidui; miles quidquid honoris habet
Ipsi animus constans, virtus et bella dedere.
Ergo mihi venient bella gerenda prius
Quam vertat merito pretium donerque corona.
Miles ero signis sub, mea diva, tuis.
O spes, quæ toties, Adriam jactantibus Austris,
Carbasa pandenti gurgitis ipsa minas

Digitized by Google

Cœrulei minuis, miseri solamen amicum,
Balsama funde meo pectore, tolle moras,
Imbellemque leva vires revocando fugaces,
Queis melius possim jamque subire vices.

Digitized by Google

PROSEUCTICON.

Zoroas invocat Cupidinem ut in suas partes adveniat : se nihil delicti fecisse, ut tanquam reus continuo vexetur ; quin imo cecinisse ipsius arma et matrem : nil juvare quæ prius auxilia. Ni sibi facilis, saltem sit asperior Panchariti deprecatur.

Humani generis domitor, salvator et auctor
Terrigenis omnis, dive Cupido, boni;
Qui pubertati spiras prædulce venenum,
Quo versas cupidos exstimulasque rudes;
Quique suberranti seniores inficis igne,
Sæpius et terras cogis adire Deos
Ut sibi quisque faces foveat : quid, fare, patravi,
Ut mea sic telis irrequietus agas
Pectora vulnificis? Nunquam furiosus adussi
Fana tuî; nec adhuc osor et ultor aquas
Fœdavi, juro, Cyprias; non poste corollas
Avelli sacro : quin, meminisse juvat,
Sæpe faces pharetramve tuam celeresque sagittas
Laudibus ante tuli; nuper et ictus eis
Cantavi matrem curru per inania vectam,
Cujus ebur nitidum, cui sua colla dabant

Digitized by Google

Candida molle jugo bijuges parentia olores.
Quid mihi nunc prodest sic Amathunta meis
Jam cecinisse Paphon numeris, si flamma medullas
Intima consumit, nec sit amica quies?
Non juvere Chii latices, non ulla resarcit
Esca mihi vires, molleque carmen obest.
O formose Puer, vatem miseratus amicum,
Gnossiaca diros cuspide tolle, precor,
Hos ictus: etenim nec erit tibi gloria major
Me moriente malis; nunc levis umbra toro,
Quam si perdideris, quis erit qui cantat honores?
Sin minus asperior, te precor, esto feræ;
Et juvet intactam citius tentare veneno.
Vim sciat hinc illo vulnere stulta tuam;
Meque probante probet quantum tua regna patescant;
Discat et hinc quid Amor sic feriendo jubet.
Ardeat; et fidenter amans suspiret amantem,
Sic sinat in niveo me recubare sinu.
Ista tui memorem referant me serta favoris
Roscida, quæ sacris pendula sacro focis.

Digitized by Google

ÆSTUS.

De amissa animi virtute stoïca queritur Zoroas, nihilominus servitutem sibi gratam esse, etsi versetur inter spem et metus. Quam sua esse meliorem sortem hominis suî compotis exclamat, et præsertim ruricolæ qui agrestia munera tractat. Ipsius æstus; se amatæ imperiose illecebris trahi. Somnii hesterni narratio.

Qui mihi quos intus discrimina tanta minantes
Experior motus? Unde procella venit
Quæ me sic agitat dubium versatque vicissim,
Nullas nexa moras, perque pericla trahit?
Non ita convulsum Libycis furit æquor arenis,
Nec dubio nubes itque reditque Noto
Ac mihi, dum varios casus in mente reduco.
O ubi quæ nuper stoïca nostra fides!
Compos adhuc animi, nihilominus esse probatum
Diffido curis, nec memor ipse dati
Consilii sociis, adeo magis ardeo victus;
Et sophicis rebus dulce levamen abest!
Impetus o animi rixisque onerosa cupido,
Tantane vis vestræ jam ditionis erit!
mbellesque manus tulero, nec sumpta juvabunt
Mancipium passo quæ prius arma mihi?

Digitized by Google

O abeam servus si nunc parendo resurgo;
Et nova vis membris ingenioque venit.
Nam quæsita catena placet nec sternit amantes
Illa jugum, dominæ sub ditione bonæ.
Sed quis erit finis votis quæ mente voluto,
Non sua certa fides, cogor et esse dein
Versatum dubiis volvique speique metusque
Fluctibus, ac duci quo revolutus aget
Casus. O ille magis felix qui temperat omnes
Affectus animi, nec sinit esse sibi
Jam sine lege datos, stimulat mollitque vicissim,
Et rerum varias mente probando vices
Fert æqua! potior quanto sors ipsa coloni
Qui procul urbanis otia rebus agit!
Cum sol premit equos pronus, radiisque coruscat
Hesperium littus nocte citante rotas,
Rure suis functus, quot erant sibi pensa revertit,
Ille domum, cantu tædia quæque fugans;
Et vires lapsas dapibus restaurat inemptis,
Dein molli somno quem tulit ante labor:
Obdormit, nec eum vanis insomnia larvis
Terrificant tanquam mox habitura reum.
Artibus ingenuis cultum me sorte dedere
Dispare Dii; nec erit quid mihi plena geram
Pectora jam fastu nimio, cum sæpe recursat
Inde mihi curæ plurima causa gravis.
Sed quid adhuc volvo quod erit mox ansa dolori,
Et nunc est etiam fons aciesque mali?

Digitized by Google

Me miserum! quot Amor rixas in pectore versat,
Dum jecur ardescit mente crepante faces!
Nunc statuo quid agam; citius sed vertat ocellos
Jam mihi languidulos, inde perire subest.
Riserit; ecce liquat nostras nova flamma medullas;
Illecebris virtus sic sua semper erit.
Sive renidet amans, iras vel miscet amaras,
Me sibi semper habens mox nova vota fovet.
Sic lauro myrtove comæ constanter honores
Servantur, mollis durave regnet hiems.
Nulla potest irrepta moras oblivio votis
Nectere, vel grato me revocare jugo.
Nil æstas poterit quamvis ferventior igni
Addere, nil etiam Thracia tollet hiems.
Ah! cum cuncta mihi memorent illam, vel et ultro
Ipsius possim non memor esse dein,
Haud fugiam quod alit nota virtute labantem
Pabulum, et ire sinit jam meliore gradu.
Haud fugiam siquidem nondum spes iverit omnis,
Et me sustineant quæ Cytherea recèns
Prodidit in somno : fabor tibi cuncta, Menippe;
Dicta sed hæc nemini pandere, quæso, cave.
Dum meditando faces ibam per amœna vireta
Anxius Idalii, sors meliora tulit
Quam quæ credideram. Vidi tunc cespite Cyprin
Sub molli stratam verba serendo simul
Cum nato, subtus citysum prope lene loquacis
Fontis aquas, et erant illa remixta minis.

Digitized by Google

Quam simul adverti, vicinior ipse subivi,
Et latitans myrtum pone, quod ore dedit
Omne tuli. Probris miscebat amica subinde
Oscula, dein et erat mollia verba serens.
« Jam satis est obicum puris Zoroæ ignibus, arma,
Nate, manusque meæ; jam sua virgo probet
Imperium nostrî, discatque dehinc quot amœna
Pacta manent ipsi si studiosa velit
Thura cremare focis, nostris tum serta columnis
Figere quæ doceant sub ditione dari.
Nunc cape de pharetra citius subeundo rebellem
Hoc jaculum quod erit certius inde via,
Quoque feris durata nimis tibi pectora quæque;
Mitteque mox vacuæ, sic sciat illa magis
Quid valeat Paphii jucunda potentia regni.
Spernimur: ergo rudem fac dare colla jugo. »
Plura suo jamjam nato sermone sub ipso
Mater erat dicens, cum resolutus eram
E somno variis avium concentibus; unde
Quæ fuerat rediit spes meliora trahens.
Ah! mihi ne tollas quod adhuc nunc restat amori
Subsidium, quamvis somnia vana putes.

Digitized by Google

PROCELLA.

Zoroas adit amicam ad littus maris spatiantem, ei laturus opem imminente tempestate. Quæ mala prævidet. Subsequitur fulgur, intonat; eam deponere metum suadet, et sese recipere in vicinam specum; ne tremat, se non abiturum quin posuerint minas cœlum et fretum. Hæret ipsius lateri Pancharis; amantis lætitiæ voces.

Non irascaris, quæso, mea Panchari; namque
Quam prius explicui non renovabo facem.
Displicet, hinc sileo : sed eas attende minantis
Ætheris ad nubes, sæva procella subest.
Hic venio laturus opem, confide loquenti,
Si tua mens istas expavet icta minas.
Aspice quam late nimbis nigrescit horizon :
Africus et Boreas, Eurus et ipse Notus
Jam properant acuuntque metus, mox agmine facto
Triste quid adducent unde ruina foret.
Pulvis densa diem fuscat, turboque revolvit
Decussas frondes; sylva sonora suo
Murmure, vel passim littus radendo volucres,
Jamque monent omnes esse quid unde ruent.

Digitized by Google

Verberat imber humum fervetque furentius æquor;
Prævideo quod erit proxima causa mali.
Fulgurat. Ah! dixi, reboantque tonitrua, dixi.
Nunc quid ages properans? Quo tibi tendis iter?
Stulta veni, depone metum; prudenter abito
Quo semel incassum fulmina quæque cadent.
Ecce specum, subeas, nec eris commota fragore.
Quid malesana tremis? ne treme, fautor ero.
Cor micat: heu pudibunda nimis, ne, quæso, paveto;
Fautor ero, nec ibi, juro, fovebo faces.
Fulguret et tonitru resonet, sto, Panchari, tecum,
Mox abiturus amans, vel licet ipsa neges,
Cum posuere minas æther, tellusque fretumque.
Solus abibo. Feris invia rupis erit
Fulminibus moles, sacris circumdata lauris
Quæ mulcent iras, quæque fuere, poli.
Nunc musco sedeas, animæ pars optima nostræ;
Et compone animum. Quid dubitata meo
Sic hæres lateri veluti mox ipse timentem
Vitarem? Jungis sollicitando manus!
Corruat ipse polus, juro, perstabo labanti.
Ah! quoties nexus queis beor, ante mihi
Expetii! Quid adhuc vanus timor auxerit illos,
Non amor? O tanto cur data meta bono?
Sic mihi delicias nacto minitante ruina
Pergat hiems, nec erit fulmen ut ipse tremam.
Ille mihi semper faustissima, juro, dierum:
Vivere sic vellem, sic volo deinde mori.

Digitized by Google

CONFESSIO.

Victus nec amplius moras passus Zoroas, plenius patefacit suum amorem Panchariti; mortem sibi exoptat si tollitur spes cicurandi mala. Increpat eam quod obmutescat. Non scelus esse amorem quo uterque beabitur. Ni obtemperet, desinat studere suæ venustati, avertat oculos, lateat ingenium, sileat vox, et sic demantur ei virus causæ. Felicem se futurum fore, si posset solvere vincula. Malesanus amat. Ne eum perdat repulsa, deprecatur.

O peream fatis nimium vexatus acerbis,
Si spes aufertur jam cicurare malum!
Quid sit amor nondum scieram cum prima dedisti
Ipsius indicium; meque deinde reum
Illecebræ fecere tuæ, si crimen habetur
Vinci tot lepidis dotibus hisce mihi.
Nam simul ac vidi, rapuit præstantia formæ,
Oris meque tui perdidit ipse decor.
Nunc mage cum dubiam video te fassus amorem,
Num laudatus erit vel reprobatus amor.
O toties oculis sævas jaculata sagittas,
Quæ tibi melliflua frigidiora moves

Pectora voce, trahisque tua levitate quot algent,
Cur non os dictis solvis, acerba, meis?
Quid mihi cantando limis connivis ocellis,
Suggerit et facies quod scelus esse putas?
Non scelus esse potest nobis quod utrumque beabit;
Est pharetratus Amor, Panchari, crede mihi.
Neu reprimas igitur gliscentes pectore flammas,
Et quas intus alis non pudor obsit iis.
At rata si fortasse velis abrumpere pacta,
Avertant nobis omina læva Dii,
Parce, precor, magicis toties sic artibus uti,
Atque venustati parce studere tuæ.
Neu tibi sit nimio capitis coma pexa labore,
Neu mihi Pæstanæ spiret odore rosæ;
Vel deinceps humeris passim vaga currat eburnis,
Crispatis nec adhuc orbibus acta cadat.
Non ferat auris item pretiosum quæque pyropum;
Amplius Eoi versicolore mihi
Neu bacca niteas veluti placitura marito;
Dispereantque genis lilia tumque rosæ.
Avertas oculos, abdas studiosa lepores,
Unde meus primo pabula sumpsit amor.
Cedat et ingenium, sileat vox apta canore
Ducere quosque tibi, qua periturus eram.
Ah procul iste pudor, stimulus gliscentis amoris,
Sisque mihi vultu qualis Erinnys erat.
Falle meos visus, tremulos suspende cachinnos,
Desine mellifluis verba ciere modis,

Digitized by Google

Et docili citharæ vocem sociare sonoram :
Sic virus causas quæ recreando necant,
Tolle mihi, veniantque dehinc contraria quæque
Illis unde foret nostra ruina gravis.
Me miserum! quod ego fatis tot versor iniquis,
Et crucient animum spesque metusque meum.
O felix, nimium felix, si solvere possem
Vincula quæ demens hactenus usque tuli!
Quid mihi subrides acuisque, dolosa, malorum
Sævitiem nimiam, nec miserere proci?
Non accedo tibi qualis furiosus amator,
Sed potius qualis servus adesse studet.
Anne fides et amor studiumque valerent
Nil mihi queis ad te fervida vota tuli?
Ah malesanus amo! quid enim tibi causa silenda
Restinctæ toties tam male tecta facis?
Tu mihi succendis celeres in pectore flammas
Queis uror; citius suffice, diva, precor,
Auxilium, nec adhuc miserum me perde repulsis.
Aeris Amor, quanta sunt feritate mihi
Spicula! Jam pereo, similes ni subdis amatæ
Ignes queis discat cedere velle preci.

Digitized by Google

HORTATIO.

Zoroas alloquitur psittacum. Laudes cantoris. Invitat eum ut iterando nomen magistri tacitos ignes puellæ revocet. Quæ verba sunt cordi habenda ut scopum assequatur. Renovet jocos et melos. Absint mala verba. Si forsan eum puella occultet sinu, quæ mox erunt cordi voces.

Psittace, quem decorat cervicis discolor arcus
Plumarumque nitor, garrulitate placens;
O decus egregium quondam telluris Eoæ,
Perjucunde comes, nunc et habende modis :
Quam mihi dulce sonas iterando subinde loquelas
Quas docui, dominam blandius unde trahes!
Non Philomela canit melius dum vulgat amores;
Quod te pluris eat nil acalanthis habet.
Nominis haud ignare mei, jam pignus amicæ
Esto recens studii : commemorando procum
Mox revoca quæcumque fovent ardentius ignes,
Hincque cupido meo nomine semper eat.
Hæc tibi præcipue cordi sint mitia verba,
Sæpius ambrosio gutture danda tuo :
Dum thyma pervolitabit apis, dum bellida pascet,
Discipulæ Zoroas dotibus actus erit.

Digitized by Google

Sis mihi deinde, precor, voti cujusque minister,
Nilque sinas exin muneris esse tui
Oblitum. Faveas renovando jocosque melosque,
Unde suus melius dein mihi vertet amor.
Semper eam mulce nugas miscendo loquelis,
Sæpius et tremulis rursus eundo modis.
Absint quæque priūs docuit mala verba Neander,
Ni fortasse tibi probra movere velis.
Sique tuis, ut erit, virtutibus acta puella
Basia det collo, lacteolaque manu
Perlustret dorsum jungendo subinde favori
Byssina verba suo, teque deinde sinu
Occultet foveatque diu gliscente calore,
Hæc tibi mox redeant quæ data verba prius:
Dum thyma pervolitabit apis, dum bellida pascet,
Discipulæ Zoroas dotibus actus erit.

Digitized by Google

VINDICTA.

Descriptio matutini temporis ab ortu solis. Jubar nascentis diei addit Zoroæ miseriis. Quæ vota fovet in hoc lœte ridentis naturæ spectaculo. Nihili suspecta apparet ei amica, dum legit in sylva flores sertulis sibi gerendis aptiores. Se vertit Cupidini, rogando ut eam jaculetur telo ignito.

Nunc ubicumque modi volucrum, nunc murmur aquarum,
Dum saliunt variis lapsibus unde scatent,
Mane novo late reboant in vallibus imis,
Ruricolamque vocant ad sua pensa procul.
Conjugis ante sui comptis Aurora capillis
Basiolisque datis jam dat ab axe jubar;
Et, croceis invecta rotis, spectabilis ore
Puniceo properat pone trahendo diem.
Suscitor his rurum variis concentibus, atque
Te, Pater omnipotens, te quoque, Phœbe, dein,
Vos imploro meis manibus de more supinis;
Mox sylvas repeto commeditando faces.
Et dum signa pedum servat sibi roscida tellus,
Devius huc illuc cursito mentis inops.

Digitized by Google

Advolat en Zephyrus, secumque serena reducit
Aera : tum late quos dedit ipsa citrus,
Quos et habent Cypriæ myrti, dispergit odores.
Rore madens gelido flos redivivus hiat.
Damna dolet Progne, promit Philomela querelas,
Et Phœbum reducem quæque salutat avis.
Versicolor late regnat ver culta per arva,
Omnis humus vernat, cunctaque prata nitent.
Suavius ipse renidet amans Veneri atque suburget
Jupiter : hic aer, ruraque tum vel aquæ
Sub ditione nova læte venerantur Amorem,
Omneque quod spirat subsilit atque coit.
Garritus avium, fragrantis veris honores,
Et quos pastori mulcet avena modi,
Cuncta mihi tectos ignes æstusque reducunt.
Quam natura suis splendet amica bonis!
O quanto formosus honos magis iste niteret
Nunc mihi, si nostri fons aciesque mali
Prodiret scenam proprio ornatura lepore,
Misceretque animas ore nitente datas
Auris quas halant herbæ, flores et hiulci,
Auroræ lacrymis dum nova prata madent!
O crudelis, ades, violis dum bellida jungo,
Et tibi cum cyanis caltha legenda venit.
O utinam quot eunt totidem mihi basia vertant!
Non prius acceptum displicuisset onus.
Ista sed ecqua foret splendescens nympha decore
Quæ procul it collem pone morando gradum?

Digitized by Google

Circumeunt comites illi risusque jocique.
Nil sibi diffidens nunc et inermis abit,
Inverso nimbo, zephyris data pone capillos;
Et, studiosa suî, roscida dona legit,
Unde caput pectusque trahant quod Chloris alebat
Suavius in sylva, lucidiusque micent.
Num Venus aut Naïs furtim quæ, cœrula linquens,
Panos it aut Fauni mox subitura jugum?
Dulcis Amor, quænam nobis bona sors dedit illam?
Pancharis est, juro, quæ ditione negat
Esse tua. Ridet casses, contemnit et artes
Quasque meas : hostes nos sumus; ergo luat
Nunc mihi quas pœnas toties prius attulit illa,
Et sciat esse dein quæ facienda sibi.
Me male semper habens, tua numina spernit;
Ultrices spretis affer utrisque manus.
E pharetra jamjam celerem deprome sagittam,
Aurea cui cuspis, figeque corda feræ.
Ardeat, et tandem discat quæ causa dolorum,
Suppetiasque dein invocet illa meas;
Tunc sciet, ah! quantis abeunt mea damna periclis.
Euge, Puer, jactu; nam tua regna cadunt
Sin minus, et cogar citius transire sub umbras.
Quæ mora? num pharetræ quæ pupugere prius
Dyctinnam, desunt promptissima vulnere tela,
Et quibus Actæon sævius ultus erat?
Phœbus Leucothoen, Cypris prius arsit Adonin,
Jupiter Europam : sic tua jura probant

Digitized by Google

Undique terrigenæ, virgoque superba refellet
Illa magis, nec erit victa perinde minis?
Regna cadunt cunctando, levem jam mitte sagittam,
Amborumque ictu sic eris ultor eo.

Digitized by Google

DEDITIO.

Pancharis se tandem victam fatetur. Rixæ quæ ipsius animum exagitant. Pœnitet effati quod eat nectendo sibi seriem malorum. Increpat amantem, ipsiusque simul invocat auxilium. Notas promit faces et novam vim qua recèns datæ sunt. Dubia de fide amantium; se dari consentit, sed dignam parentis. Unde novi motus quos intus experitur? Unde ignes qui similem simili trahunt? Quæ ratio, fines, usus, ea sibi noscenda exquirit a Zoroa.

Siccine me victam studiis et amore fatebor
Jamque tuis, Zoroa, quæ prius osor eram!
Vinclaque mox animum premerent huc usque rebellem,
Nec mihi qua caveam vis erit ulla dein!
Hei mihi! quid luctabar amans, si deinde nequirem
Vincere me dubiam, virgineoque sinu
Pellere gliscentes ignes? Sic esto quod urges.
O scelus infandum! Quæ malesana necat
Vox miseram dubiis ægre properata labellis?
Nil penes hinc, lacrymæ, quo mea damna luam.
O pudor, ergo cadent nihilo tua jura deinceps,
Et sontem fugiet quidquid honoris erat!

Digitized by Google

Proh mores! quod eam seriem nectendo malorum
Jam mihi, nec possim dehinc prohibere minas.
Perfide, quique prius monitus, studiumque dolique
Huc tibi vertebant, fallere nempe rudem!
Nam quid dissimulo? nec eras miseratus inermem.
Nusquam tuta fides! moxque cupita fluent
Fenora sic sceleri, quamvis prece prosequar astra!
Et sibi non pœnas solveret ipse reus?
Eheu! quo rapiunt mentem deliria nostram?
Pars vitæ, venias nunc relevare tuam,
Et dare quæ prodesse putas solatia stultæ:
Nunc invita loquor, parce perinde mihi.
Fallere enim quamvis facilem te nolle puellam
Crediderim, dictis suspiciosa feror.
Ah! quoties dixere Cupidinis esse cavendas
Artes, et minimis sæpe latere dolos
Blanditiis! monuere noti, totiesque verenda
Dixerat ante parens, ut rata nostra fides.
Ast ubi te sensi, liquit qui primitus error;
Et licet igniculis posse subesse malum
Arbitrarer adhuc, nihilominus ire ferebam,
Credens a puro surgere posse foco.
Sed quid? creverunt nuper virtute maligna
Nescio qua nondum vix residere datur.
Sic malesana, obversa bonis, obversa periclis,
Sentio me misere sæpe duabus agi
Viribus; agnosco nunc nunc meliora proboque,
Deteriora sequor: sic male versat amor.

Digitized by Google

Heu ! ubi lapsa dies nugis absumpta jocosis,
Qua mens immunis criminis æqua mihi
Constabat semper, nec erat reprimenda voluntas?
Omnia solliciti vertit imago viri.
Verane quæque tuæ reseras proludia mentis
Expansæ, et dictis dandane nostra fides?
Ah quoties damnosa proci perjuria ventus
Irrita per terras, per freta quæque tulit!
Sed vim verborum tacite versando tuorum,
His quidquam fraudis non latitare puto.
O mihi præsidium rebusque levamen acerbis,
Si bene quid de te jamque merere queunt
Hæ lacrymæ, aut fuerit quidquam tibi dulce mearum
Virtutum, servæ tu miserescе tuæ.
Fama prior stimulat, surdis non auribus adsta:
Ad te confugio; causa salutis eris
Si vis me servare tibi, servare parenti;
Juraque queis animos nunc agitare meos
Calles, comminuas, et ea ratione duobus
Proderis ipse, magis dignus amore meo.
Tu potes actutum vulnus sanare monendo
Quomodo nunc melius damna futura feram.
Neu sine consensus habeat puduisse puellam,
Et tuus ingenuam sit relevare labor.
At mage quo mihimet vero tenearis amore,
Hoc mage jam causas sume docere rudem,
Illos num sit Amor vel non qui concitat ignes.
Tu qui doctrina tam sapis, unde novus

Digitized by Google

Te præsente calor serpens, absente recedens?
Quid mihi qua vivo nunc nova vita refert,
Dum Musis modulisve damus nos otia soli?
Vel mihi, dum cogito, cur et imago tuî
Occurrit semper, nec abes licet ipse recedas;
Sique procul fueris, tē mihi quæque ferunt?
Res equidem pronuper amor gratissima, juro;
Ast intus moneor sæpius esse nefas.
Ah! si crimen erat, virtus quid abesset amori?
Sique homines uri jusserit ipse Deus,
Cur premerent flammas intus sibi nuper amantes,
Nec natura suam posset habere viam?
Sique scelus fuerit, causas quascumque patrandi
Tolle mihi potius commiserando malis.
At nunc præcipue memora quid procreat ignes
Qui similem simili, dum viret annus, agunt.
Quis scopus et ratio, fines, quæcumque memento;
Hæc etenim nequeunt, credo, latere sophum.

Digitized by Google

EPIPHONEMA.

Expandit lætantis animi sensus Zoroas; beari mellifluis verbis dominæ nil dulcius amanti. Addit verbis fidem, credens castam puellam non posse fingere. Primas delibat voluptates osculando ceras amatæ. Orat de induciis Venerem, cum inhabilis sit tantis frui deliciis. Nihil sibi timere præmonet amantem, cum nil sit criminis in amore, sed tamen Veneris arcana non vulganda esse. Differt expostulatorum dilucidationem pro opportuniore tempore.

NUMINA cœlorum, testes modo sortis acerbæ,
Sitis et alterius nunc meliora datæ.
Adversis rebus mihimet mens una ferendis
Sufficiebat : eo tempore bina, precor,
Me juvet, ut possim casus perferre secundos
Hos melius. Nostrum commiserata malum,
Denique succurris simili data nuper amore!
Dulcius ecquid enim quando beatur amans
Virginis intactæ verbis, quæ, cauta pericli,
Se dat servandam cui dedit ipsa manus?
Quid mihi jam tentare fidem memori istius auræ,
Ut rata prodirent mox data verba proco?

Digitized by Google

Ergo bonas versare licet spes! Ergo scaterent
Fenore jamque suo, Panchari, missa mihi
Pignora! Numquid enim primos experta calores
Fingere posset iis casta puella notis
Quos sibi non sentit sinceros intus amores?
Ah procul hinc istud quod mihi volvo nefas!
Nuncque legam, rursusque legam quæ fausta reducunt
Ceras, queis vivo commoriorque mihi.
Tanta voluptatum series me versat amice
Alternis vicibus, meque perinde premit,
Ut vix sufficiam subitum perferre levamen,
Quo gaudere datur, cum periturus eram!
Suavia nunc figam signaturæ, atque Cupido,
Panchari, morigerans deferat illa tibi.
O utinam similes mitis Puer excitet ignes
In te queis pereo dum tua scripta lego!
Parce mihi, Cytherea; moras jam necte precatis,
Si vis me leges imperiumque tuum
Ferre : scias etenim mortales hisce probandis
Non tantis natos motibus esse sibi.
Ah! si talis amor subsit jam pectore qualem
Pandisti verbis, desine jamque moras
Nectere. Divinavisti, nunc dulcis Amoris
Imperio regeris, sed mala nulla time.
Heu! tibi quid metuis mecum sic fassa calores
Quos mihi sic tacite, carior intus alis?
Fide mihi, nullumque potest existere crimen
Nunc in amore tuo; te dare sicque licet

Digitized by Google

Dulcibus hinc flammis, quoniam tibi pectora fervent,
Me duce : sed lateant quæ semel orsa Venus.
Diva quidem secreta procis potiusque puellis
Sæpe docet vulgo non retegenda rudi.
Cur vero dulces natura refuderit ignes
Hos intus quorum vi sibi cuncta movet
Entia, magna cupis sophiæ principia pandam
Quæ vis occultæ plenius acta probant:
Sumo mihi, liceat, quot erunt narrare deinceps;
Materies etenim nunc nimis ampla datur.

Digitized by Google

MNEMOSYNUM.

Zoroas Ramulum myrti in dono mittit Panchariti. Etsi varia tempestatum discrimina subiverit thyrsus, se majora tulisse admonet antequam eum bearet Pancharis. Rogat ab eo ut partes devoti ministri fideliter exequatur. Quam magis se fore felicem si ejus sorte donaretur, dicit; quo tunc se verteret: quæ ei munera præscribit, servet semper suum honorem.

Myrtule, matris Acidaliæ fulgorque decusque,
Virginibusque piis hinc venerande magis,
Quo vernat sertis obeuntibus ara Cytheris
Thure calens; species eximiumque jugi
Pergrati pignus, cujus fragrantia tanti
Est quibus Idaliis dona ferenda focis;
Succute nunc gemmas, lacrymas Tithonis amœnæ;
Deinde veni dominæ condecorare sinum.
Jure sibi metuit thyrsus ne frigora lædant
Vel calor, halitibus nunc Libe flante malis.
Quam pejora tuis fuerunt discrimina nostra,
Dum male versabat me cruciando moris!
Propitius proinde meis, precor, ignibus esto:
Et te cum casto pectore virgo geret,

Digitized by Google

Quæque faci fuerint contraria verte deinceps,
Nil que mali esse sinas quod quereretur amans;
Nam licet alma dies rutilante oriente recurrat,
Sæpe minatur hiems sole cadente ferox.
Ah felix nimium simili si sorte beari,
Et niveo possem sic recubare sinu!
Quam cito me rosei traherent utrinque corymbi,
Quo meliora meæ sunt alimenta faci!
En tibi nunc unum sumas, dein istud, amabo,
Basiolum, atque refer mox quot itura sinu.
Hic tibi dulce solum, nascetur et inde decori
Alter honos. Præsis, quæque fuere, viis.
Quidquid et halat odor spira genialibus auris;
Marcidus elangue, sed revivisce dein,
Et pandas splendore novo tua dona quot insunt:
Pectus adornari, non latitare volo.
At quo mox nutare comam juvat, ipse Cupido
Dicet, fido, meis ignibus usque favens.
O ramale, comæ serva tibi semper honorem;
Cumque cadent vitæ fila resecta meæ,
Hoc sit postremo concessum, nempe sepulcro
Manderis mecum, pectore stesque super.

Digitized by Google

FONS.

Apostrophe ad Limniaden; Zoroas eam invitat ut leniter scaturire continuet, et vernet contiguo cespite. Salix et ornus frigora ferant procis amœnitate loci allectis, et margo rideat variis floribus. Quanto minus ipsi placeant Aganippe aliique fontes quos pastores Arcadii cantant arundine. Caniculæ nullum in eo imperium : fiet nobilior dum canet ligustra sub; ipsius cavis vernantia. Utatur jure suo, mulcendo Pancharitis illecebras; caper cadet pro mercede.

O fons Limniades, nitidis insignior undis
Quam Phorcinis erat tam celebratus avis;
Collis honos plebisque salus, quo purior alter
Non currit querulis sic sinuosus aquis;
Delicium dominæ, nuper mea parta voluptas,
Amborumque recèns tot reboate modis :
Lene sona semper niveo de pumice manans,
Vernet et attiguo cespite mollis humus.
Lenta salix ornusque virens umbracula præstent,
Et recreent grato frigore jure procum
Quem trahit alma loci requies, aut ipsa medendi
Spes animi curis, sicque refectus eat.

Digitized by Google

Floreat asphodelus cytisusque virens in margine picto,
Et spirent violæ quicquid odoris habent.
Defluat irriguis Aganippe lætior undis,
Et quos Arcadius carmine pastor amat
Dicere, molle suos dando sub arundine amores;
Me tuus addictum semper habebit honos.
O fons, te gelidum flagrantis tangere nescit
Hora canis; nec inest quod sibi vitet aquis
Mox relevare sitim, fessusque subinde viator
Torpida gramineo credere membra toro.
Nobilium fies merito pronuper aquarum
Me dicente cavo creta ligustra tuo,
Unde scatet rivus trepidans per amœna vireta,
Moxque quieturus qua datur esse lacus.
O qui discipulæ toties et amabile frigus
Ante dabas nitidos sæpe fovendo pedes,
Utere jure tuo molles lambendo quot extant
Corpore delicias, lilia quotque nitent,
Quotque rosas condit Tyria sub veste pudica,
Dum nimios æstus frangere quærit aquis.
Cras tibi pro mercede cadet caper hostia, juro,
Infectumque suo sanguine flumen erit.

Digitized by Google

MATHESIS.

Doctrinam generationis in vasto naturæ gremio Zoroas exquirit et pandit. Femina nil generat seclusa marito. Scintilla genitiva; quo tempore apta generationi. Coitio animantium ubique obvia. Sors eadem homini. Quid sit pubertas. Jura naturæ quibus mirabilis creatorum ordo perennat.

En mihi fert animus mysteria stringere magna,
Naturæque sinum volvere, sicque palam
Cuncta referre quibus constent auctoris honores;
Hinc attenta, precor, vocibus esto meis,
Panchari. Quidquid habet vitam, jam sponte movendo
Viribus occultis se trahit atque coit,
Cum venit præfixa dies qua corporis auctus
Desinit et partes robore quæque valent.
En ea quam sequitur rerum natura creatrix
Lex, cui, dum stabit mira fabrica globi
Terreni, mortale genus parere tenetur,
Et qua terra patet, tum quoque planta virens.
Femina palma nihil generat seclusa marito;
Si vicina subest, mox dabit illa genus.
Omnipotens cunctis animantibus ante creatis
Addidit hinc vires queis propagare queant,

Digitized by Google

Progenieque nova succedant, sicque perenne.
Sed fini nexam condidit ipse levem
Flammam quæ tacite serpens incendia volvit
Ætas dum vernat, consopienda simul
Ac brumale subest vitæ jam tempus anilis,
Quo senii duro pondere pressa gemit
Machina quæque suis cursum confecta priorem
Motibus. Exarsis omnibus inde fibris,
Tunc animata strues rueret, ni fomes ubique
Intus serviret perficiendo novum
Embryonem. Coeunt exin animantia quæque;
Sicque Venus cunctis imperiosa jubet
Entibus, et late toto dominatur in orbe;
Ulla nec est species quæ revocare jugum
Possit, seu latitet per inhospita viscera terræ,
Vel reptet viridi tunc sinuosa solo,
Æquora vel findat latis spumantia pinnis,
Expansisve alis nubila pura secet.
Sicque truces animos mollit sibi blanda voluptas,
Atque Venus cunctos sic animando beat.
Invenit hinc mediis in aquis cui gaudia jungit
Femina piscis, init fœdera cerva pari
Cum cervo, sequiturque bovem per prata juvenca,
Et colubræ coluber lege tenetur ea.
Ales habet quod amat, sociam cui fœdera miscet,
Et vitæ mulcet tempora nigra suæ.
Tene fugit toties visus vel ubique palumbum
Commemoratus amor, commemoratus hymen?

Digitized by Google

Quale melos cantus! plumis tunc quanta venustas!
Cervicis rutilæ quam variatus honos!
Garritu vario Venerem cantant et amores.
Ast ubi conjugii vivere more datur,
Obmutescentes reticent cum nidus alumnis
Quo foti latitent, est faciendus eis.
Una fides jungit, versat labor unus, et idem
Ardor habet blando semper amore pares.
Sors eadem nobis; nec habes exosa quid obstes
Perpetuis vivi legibus orbis iis.
Materiem brèviando gravem servabimus illa
Ducere quæ fini nunc stabilita queunt.
Pubertas vitæ mensura propinqua juventæ,
Qua similis simili jungere quisque cupit.
Tunc vir se sentit sibimet non esse recusum,
Sed sexu quærit jam sociare suî
Dispare; sicque ruit strictis amplexibus omnis
Pubes, ut impositis obsequiosus eat
Legibus, et mixtis ardoribus inde fruatur.
Tuque vides illis num scelus esset amor
Quo trahimur proprio nutu dedimusque libenter
Ipsius ignifera sub ditione manus.
Non scelus esse potest quod sic male verteret obex
Quin sua naturæ jura soluta forent;
Quo sine nunc, miris vivens compagibus, orbis
Corrueret senio pressus ubique suo.
Quomodo nunc divina malo sapientia tanto
Obstiterit, minime fas tibi scire prius

Digitized by Google

Quam Venus alma rudi spiret quæ rite subire
Conveniat. Verum nunc mihi cura datur
Quem studii selegit ea ratione ministrum,
Ut tibi declarem dona ferenda focis.
Artibus ergo meis adhibenda fides et amori
Quo nunc depereo : me juvet ante Cypris.

Digitized by Google

EUMATHIA.

Zoroas invitat Pancharitem ut à jugi studio desistat, et, studiosa magis ipsius venustatis, sese vertat ad Idalios cultus. Historiam non ediscendam esse; sed potius discat ab Hesiodo jocos et metamorphoses Deorum, ut amori melius obsequatur; à Bione, Theocrito, retia nexa Papho. Geographiæ studium postponendum Veneris ritibus, et solummodo noscendæ urbes et regiones quas coluere Venus et Cupido; notanda fata Leandri, Pyrami, Didonis et Helenæ.

PANCHARI, quid Musæ, doctrina quid ista juvabit?
Quidve quibus calles dogmata tanta tibi?
Parce, precor, cunctis tractare tot arma nefasta,
Satque venustati sit studuisse tuæ.
Tu placitura magis, doctarum nescia rerum
Queis te sollicitas semper inhæsa schedis.
Discipulæ monitis formem nunc solus amœnos
Jamque meæ mores, ipse Minerva dehinc.
Profuit ipsa cui studuisti, musica; polles
Terpsichores numeris Lesbiacisque modis.
Sedulus Arcadio cantu te format amator:
Docta tuæ vocis jam sociare melos

Digitized by Google

Apprime calles citharæ; properansve moransve
Sic cantus mollis, sic resilire facis,
Ut modulando mihi resonas velut alma sacerdos
Quæ canit Idaliæ carmina grata Deæ.
Tu præjudiciorum exsors, nunc fungere nostris
Cultibus, et Paphiis sint sua dona focis;
Nec jam muneribus careat sertisque Cupido,
Pacis amans quoties thuribus ara calet.
Expete semper iis sinceris ignibus uri,
Ne levitate mala discrucietur amans.
Neu discas quod erit nihili sejuncta virili
Munere; nec deinceps sit nova tumque vetus
Ediscenda tibi studiis historia tantis
Gesta notans hominum qualiacumque cadunt.
Hesiodus doceat metamorphosesque jocosque
Divorum; species, quæque fuere, novas,
Et quot erant olim mutato corpore formæ
Quas terris subiit Jupiter ipse salax,
Vel Neptunus aquas subtus, quas Phœbus in arvis
Luserit exardens depereundo strophas.
Dicat et inde Bion pastorum quotquot amores,
Theocritus culta retia nexa Papho.
Cantibus et præsit semper festiva Thalia,
Sufficiatque hymnos Anacreontis opus.
Neu, studiosa nimis, quæras quo vergit Hydaspes,
Sauromatæve feri quo sua strata locant,
Quove pharetrati Phrygibus duxere catervas
Arsacides densas omine sæpe malo.

Digitized by Google

Quid tibi qua cœlum audaces petiere Gigantes
Arte, vel ut Thebæ sæpe sonante lyra
Surgebant; quis erat Tyriæ Carthaginis ortus,
Bellaque quot tulerint Pergama dira prius?
Quisque suum pertractet opus, nos pensa sequamur
Quæ volvit nobis officiosa Venus.
Sic Amathunta scias, aras lucosque peragra
Quos ea dilexit, quosque Cupido fovet.
Dein miserando nota Sapphus suprema Phaoni,
Et quo Leander marmore mersus iit.
Disce quibus facibus Thisbe, queis Pyramus arsit;
Queisve Helenam Paridi traxerit acer Amor;
Queis oris vixit, sævo quo funere Dido
Succubuit verbis exulis acta ducis.
Quot vel amœna fovent Tempe vallesve Corynthi
Nosce; nec hinc pudeat tot peragrare locos.
Singula sed memorare velis quibus oppida distant
Moribus: alternæ sic datur ansa vici!
En studium seriesque tibi ducenda laborum,
Queis bene colloquium præcelerare potes.
Quid plus, o divina, sciens mollire tuendo?
Hæc doctrina placet qua trahis ipsa procum;
Hinc haurire quees vitæ præcepta beatæ;
Fide meis dictis, et juvet alma Venus!

Digitized by Google

RUSTICATIO.

Pancharis Zoroam invitat ad rusticationem, ubi parens experitura est vim aquarum thermalium. Ni veniat, defuturum esse quidquam gaudio et jocis. Mater probat ipsius comitatum: veniat carpturus lintre viam, veniat probare pactam fidem.

Nunc scio, Cortynon, calidis jucundius undis
Quam positu, festos ibimus ante dies
Thargeliorum, et ibi sistet mea mater aquarum
Virtutem chronicis experitura malis.
Ambulacra, joci, consortia, cuncta dolenti
Promittunt citius queis revocanda salus.
Etsi grata mihi villa mox augurer ire
Eventa, et possim me recreare jocis
Innumeris, quidquam deerit pronuper habenti
Qua sibi demebat tædia multa, penum:
Docta volo documenta prius tua quæque, magister;
Quæ data continuo sic mihi pluris erunt.
Ergo veni, comitemque simul te siste vocanti:
Oro, veni, necnon obsequiosus ades.
Jam dictis matrem tetigi, nec acerba moratur,
Si vis nobiscum carpere lintre viam.

Digitized by Google

Ipsa meæ laudis studiosa, vel acta parentum
Stemmate, privatam me fore jure timens
Doctrina, lucro cavit cessitque petitis,
Dicta probans quoties de duce sermo venit.
Hærens proposito numerus sis, quæso, profectis,
Nec deerit carptæ gratia, crede, viæ.
Me rapit assensus meritis etiam vel in illis
Quos odi, unde tuis præmia pluris erunt.
Neu sine jamque tuis orbam virtutibus esse
Quas miror; venias pacta probare fide.

Digitized by Google

ASSENSIO.

Annuit voto Pancharitis Zoroas : placent rura, ubi sperat pellere curas quæ animum obfuscant. Hic desumentur exempla doctrinæ genitivæ. Curta librorum supellex quæ competit otia daturis ad choreas, deambulationem et musicen.

Ibo, nec obsto tuis quot erunt jam, Pancharì, votis;
Ibo viam tecum spes refovendo mihi,
Te tandem fidei necnon miserescere nostri
Obsequii toties quod prius ipse dedi.
Nam mihi rura placent, et erit pergrata voluptas
Sic curas animo pellere, crede, graves.
Laudo magis quod abest morum corruptor in agris,
Qui te blanditiis posset habere ream.
Hic mecum deges casus secura maligni,
Externis et erunt omnia tuta procis.
Ampla seges documentorum tibi ruribus adsunt;
Hic sua jam dictis quæ data nuper erant,
Nec deerit ratio specimenque meis, nec inertes
Nos natura sinet ducere læta diem,
Quin admiremur quantum sibi complacet ultro
Esse sinu gravido seminibusque bonis

Digitized by Google

Quæ vitam generent foveantque renata per orbem
Fecundumque beent legibus acta suis.
Nos aditus, quicumque latent, quos ipsa recludit
Cultori, quoties sollicitata prius,
Ibimus; et latebras taciti tentabimus una,
Perscrutando sui luxuriantis opes
Quasque sinus. Citius proin formanda supellex
Qualis conveniet vel magis apta scopo.
Sit levis at jucunda simul; Cratora, Platonem,
Eupolin, Archilochum linque perinde domi.
Ne nimis hinc volvat, moneo, scrutatio rerum
Percupidam: multis non tua danda sophis
Otia quæ melius ludis quandoque choreis.
Interdumque modos qui placuere prius
Jungemus citharæque sonos tentabimus una,
Unde trahant animi, quique fuere, jocos.
Hinc condicta sequar, pronum mihi jussa colendi
Quæ dabis et possunt me recreare dehinc.
Sistite, vos Zephyri, facilesque abeuntibus undas
Jam date, ne dubius per vada linter eat.

Digitized by Google

BELLONA.

Descriptio veris. Dispar scena ad adventum Martis. Apostrophe ad Discordiam. Quæ mala advehat Mars dum agmina insequitur; furunt Eumenides, et mors metit victimas. Invocatur Omnipotens de pellenda procul peste et reducenda cito citius pace. Quam melior sors manet Pancharitem et Zoroam!

Jam procul acris hiems cedit, secumque pruinas
Abripit hibernas; aera pura nitent.
Nunc Tmoli nimbosa cacumina Phœbus inaurat;
Collibus apricis jamque nivale gelu
Solvitur: ambitiosus aquis in valle Cayster
Decidit incutiens sæpe fragore metum;
Dejectuque suo tenui fumosa vapore
Nubila producit, saxaque montis agit.
Africus et Boreas tempestatesque sonoræ
Ad gelidam rapidis flatibus Arcton eunt.
Hiberno e somno sensim natura resurgit,
Eximii cultus jure superba sui;
Ver venit, halat humus, Zephyrisque tepentibus auras
Omnis planta viret, flos et amanter hiat.
Germina quæque ferunt expanso semine rura,
Et lambunt auræ jam sata prima leves.

Digitized by Google

En Charites cingunt molli sua tempora myrto;
Emicat è placidis cœrula Doris aquis;
Nereidasque vocat Phœbo surgente salaces
Ad choreas. Fauni prosiluere specu;
Thyas et ipsa vibrans thyrsum, sibi convocat omnes
Passim Sylvanos, evohe Bacche fremens.
Omnibus ignis alit tacite pereditque medullas,
Et citat ad modulos qui siluere procos.
Chloris eo rediviva magis gliscente calore,
Hortos it meditans quos habitura sibi
Nunc flores, quot odore dabit modo, quot vel hiantes
Ipsa leget croceas implicitura comas,
Et quibus ipsa torum sparget mox, unde mariti
Labentes nisus ingeniosa citet.
Vita redux cunctis latitantes excitat ignes,
Et Veneri revocat quod movet omne genus.
Blanda truces animos flectunt hortamina Divæ,
Et ducuntur iis sub ditione sua
Per freta, per terras, cœlumve, animantia quæque.
En illis Corydon Phyllida mulcet amans,
Dum prope lanigeri lascivis ignibus ardent.
Ambitiosa regit, mollit et alta liquat,
Dein liquefacta trahit ridendo corda leonum
Cypria virgo sibi; jussa nec ulla cadunt.
Sed dum cuncta manet cunctos vel ubique voluptas,
Et quatit ipse facem jure Cupido suam;
Dum per rura canit saltando pastor amores,
Idaliisque aris thura cremanda vovet,

Digitized by Google

Quis mihi terrificus clamor clangorque tubarum?
Quid tantum dispar ferrea scena movet?
Mars venit impavidus, manibus quatit arma cruentis;
Et dum nunc vitæ germina promit humus,
It spargens diræ fatalia semina mortis.
Quo nunc, Bellipotens, is minitando necem?
Vade age ubi funesta parens Discordia natum
Advocat: haud nostras infice, sæve, domos.
Hic requies habitat, pauperrimus incola nescit
Quæque ferunt homines jurgia: cede procul.
O insana ducum regumque nociva cupido,
Quæ tot terrigenis dira pericla paras,
Insontesque viros fato sic mergis acerbo!
Jam lassata malis siste, cruenta, manus.
Nescis enim, peramata, minas et funera spissa
Quæ versat Mavors, pulverulenta sequi
Agmina dum curru gaudet funditque cruorem
Flumine spumoso; tunc valedicit Amor.
Non Arethusa, Thais, Pholoëve, per arva recursant:
Eumenides ululant, ardet ubique cohors
Per cædes hominum, stuprum, truculenta per ignes;
Morsque metit cunctos ocior ense datos;
Et veluti rixis spatium tellure deesset,
Per freta consciscit gens sibi sæva necem.
Heu Pietas et sancta Fides, quam sæpe caducum
Imperium vestrî, jam glomerante manum
Marte sub undatim motis insignibus acrem!
O Pater! o Divûm vis et amœna salus

Terricolis, nostras voces tractabilis audi,
Effusasque acies undique pelle procul;
Et redeat cunctis toties totiesque vocata
Candida laureola Pax redimita comam.
Hinc securus iter terris pelagoque viator
Carpat, et oblitam verset arator humum.
Da nunc ire diem nobis sine nube deinceps,
Compositisque minis aspera cedat hiems.
Tuque veni precibus, niveo circumdate amictu
Candentes humeros, augur Apollo, meis;
Persica tela procul fugiant Latiique secures,
Et succincta chorum Cynthia rursus agat.
Panchari, quam meliora manent nos fata studendo
Naturæ libro quos resoluta refert
Pagina quæque sinus, mirisque calescimus illis!
Sic nos sors foveat semper amica dein!

Digitized by Google

MISCELLANEA.

Philosophica deambulatio in qua rimantur arcana naturæ in vasto ipsius dominio. Quando entia dicuntur donari vita. Quomodo materia subit viventia corpora. Corpus simplicissimum; unde magis compositum, videlicet planta. E plantis natura procedit ad animantia quæ componuntur è fibris et vasis interplicatis. Illa ubique reperiuntur; vivunt sub suis legibus; illorum artes mirique labores. Sollicitudo ut escam sibi concilient. Nautili audacia. Eorum varia industria in ciendis et fovendis vitæ primordiis. Generationis varia adminicula in variis animalibus considerata. Ordo naturæ delibatus; hominis stupenda majestas et structura. Ille dat ideis corpus et artus : ipsius cœlestis origo, mira ejus opera. Prædictio de ejus audacia.

NUNC dum mane novo pelagi spatiamur ad oram,
Viventisque omnes sponte stupemus opes
Naturæ, quot habent aer, undæ, telluris et ima,
Seu sensus feriant effugiantve sophi,
Se sistant coram nobis : nam copia fandi
Si datur, est animus volvere mira Dei

Digitized by Google

Omnigeni momenta quibus sibi ducat honores
Auctor. Ad hæc aures, Panchari, verte tuas:
Nam rerum veniet series exinde novarum,
Unde tuæ menti mox alimenta fluent.
Entia dicuntur donari munere vitæ,
Ac simul hæc motu vividiore vigent,
Sponteque pro varia specie proinde moventur:
Unde patet vitæ cuilibet ipse modus.
Materies intus tenuatur ut organa fiant,
Et liquefacta subit cola minora fibræ.
Ipsà calore novo paulatim terra subacta
Sic et aqua cardo principiumque rei
Omnis fit; petiturque dehinc mucoris origo,
Fungorumque cohors hinc habet ipsa genus.
His tentat primas vires natura latebris,
Arguit hinc operi quæ bona finis erit.
Illorum plerumque putredo novæ fit origo
Prolis; et inde suum ruribus agmen erit
Quo natura fovet majores veris honores,
Sive sub effigie graminis uber humus
Huc illuc decoretur iis, vel, ad arboris instar,
Jam sublime caput pura per astra ferant.
Hucque refer florum, quot erit vel odora potestas,
Vim multam; foliis quod sit et omne genus.
Nunc ea luxuriat virtus genitiva per arva,
Ignis et omniparens semina quæque subit.
Omnibus effluviis aer prædives ubique
Suavius his spirat germina quæque ciens.

Digitized by Google

Vere novo renovatur humus, renovatur et omnis
Naturæ aspectus, dum calor intus agit.
En, videas, volitant per inania semina multa.
Dixerunt Zephyrum Chloridos esse procum:
Ah Pater omnipotens, prolis studiose creandæ,
Jussa sequi promptam nunc age molle refer
Quo bene fota queat tacite sibi volvere vires,
Vitaque sic cunctis mitior intus eat.
Hoc incumbit onus patri, tua cura juvabit
Instabiles, illis hinc erit orsa quies.
E plantis sensim graditur natura creando
Ad quæ constituit fabrica plexa magis;
Entia nempe fibris vasisve moventibus orsa.
Illa fovet tellus hospita quæque sinu
Quo degunt, vivunt et aluntur ubique reperta,
Legibus acta suis, viribus aucta novis.
Quot miraris ibi sulcantia Tethyos arva,
Dum Phœbi radiis sic feriuntur aquæ!
Exigua et scopuli condunt, conduntur et imis
Multa sub his algis; hinc sua nota cohors
Neptuno, conchæ, pisces, phocæque, lupique,
Gorgonei fœtus, aut zoophyta freti.
Quot tranant in aquis, totidem per viscera terræ
Innumera irrepunt non fruitura dia
Luce: fovent plantæ, lapides animantia passim;
Sic late sedes imperiumque patent
Illorum, pennisve volucribus æthera verrant,
Vel latitent vili semper inhæsa fimo.

Digitized by Google

Quam rerum veneranda sophum percellit imago,
His dum tot scenis ampla theatra videt
Naturæ variata, modosque secuta priores
Queis idem semper pulchrior ordo manet!
Omne suis animans vivit sub legibus, atque
Non sibi quærit habens quo meliore regat
Auspicio vitam; causas exquire latentes
In compage bona qua fuit ante datum.
Hic et apum referas artes, referasque labores
Queis formica vacat; quas fera quæque struit
Insidias; quot habent suspensa cubilia ramis
Garrula gens avium; quos meditatur aquis
In mediis astus, aliis minitando ruinam,
Piscis, ut ipsius sint alimenta gulæ.
Hæc concessa fuit speciei cuique perite
Sollicitudo, suum quærere nempe cibum.
Hæc immota vadis sperat sibi segniter escam;
Illa probat variis ire redire viis
Clamve palamve, cibos teneras quærendo per herbas;
Dum numerosa minas bellave sæpe movet.
Sunt quæ vasta secant pinnis velocibus alta,
Atque vorant citius quos malus angor habet.
Sic suus est pelago, fluviis vacuoque viator.
Terra quot occultos intus ubique fovet!
Impavidi quærunt aditûs, et sæpe viarum,
Dummodo præda cadat, cuncta pericla probant.
Nautilus ecce procul, cernis, qui certat eundi;
Nayita fluctivagus non sinit esse modum

Digitized by Google

Ardori, nec eum terrent discrimina ponti;
Quin potius citior vela dat ipse rati,
Alta secat ventisque faventibus acrius urget;
Nauclerumque docet qua dabit ipse trabem.
Altera cura fuit naturæ, nempe fovere
Ignes queis species accipiatque sibi
Detque dein quæcumque suæ primordia vitæ.
His etiam ludis scena stupenda datur.
Multa, velut palmes, madidis sua germina fibris
Intus habent noto luxurianda scopo;
Unde exclusa salit soboles à matre seorsim,
Cui patris officium nullius esset opis.
Huic classi zoophyta, gelu molluscaque duces.
Nunc quoque non mittam quæ vocitata prius
Ovipara antiquis, nobis genus inde vocatum
Quod fœtus semper terrea testa tegit,
Qua foti solis matrisve calore benigno
Sint tacite donec robore corpus eat
Exaucto vegetum, sensimque patescat hiatus
Pervius incluso qua cito fiat iter.
Huc referas et aves, muscas, insectaque, necnon
Serpentes; et erit plebs numerosa maris.
Hic satis auctorem pandit cui magna potestas
Conspectus rerum, sed probat ordo magis.
Et magis ipsius sapientia mira patebit,
Si veniant menti queis decoratur homo
Eximiæ dotes. Illum formaverat ante
Conditor, ut starent signa decora suî.

Digitized by Google

Corporis o quales habitus staturaque ! qualis
Vultus majestas ! quis rationis apex !
Quamque fuit vitæ multiplice fonte refertus !
Organa quam vegeto fomite cuncta valent !
Quot peragunt intus varios mirosque labores !
Unde recèns vasis excita vita datur ;
Et præstant partes quod erit sibi muneris omne,
Usque sit his pensis summa recisa dein.
Sed nova me rapiunt mirandis hisce morantem ;
Nec me quin stupeam cuncta perinde sinunt.
Jamque leves ideæ veniunt, formantur ab illis
Argumenta quibus se cito fert ad opus
Omnis homo quæritque novis dare corpus et artus
Verbaque : sic pondus jam simulacra trahunt ;
Et percepta suam produnt vim ; vivit et adstat
Quod nihil in vacuo degerat ante chao.
O hominum vere cœlestis originis olim
Mentes, quam divas arguit illud opus !
Quot refovente sinu latitantia jamque dedistis
Germina, quotque manent auspice danda bono !
Vult homo, jam sese tellure palatia tollunt
Splendida queis vivunt marmora, spirat ebur.
Fit domus innatura salo pernicibus alis,
Per vada, per syrtes sæpe datura viam.
Vult, et eunt sensim montes cerealibus æqui
Æquoribus, surgunt altius arva solo,
Aggeribusque datis Neptuni provocat iras,
Dormitatque casa sæpeque subtus aquis.

Digitized by Google

Trans montes tentatur iter, scopulique facessunt,
Et juga suspenso ponte meanda patent.
Ah! veniet tempus, veniet, nec inania promo,
Quo novus hinc alis Icarus alta petet
Ætheris inventis, aliis aut artibus ante
Non homini notis, impavidusque viam
Sulcabit; metuensque Jovis pennata satelles,
Ne sua regna cadant, ipsa rigescet hebes.
Illud erit tempus, credo, nec, amata, remotum,
Quo tunc Japetides alter et ipse viam
Rursus adinveniet, celsum affectatus Olympum,
Diripietque Jovis fulmina sæva manu;
Morigeros ignes scintillis ire coruscis,
Et late fundi cernet et ipse nepos.
O natura! tuæ quantum pretiosa supellex
Aulæ, et quanta adytis fulgidiora latent!

Digitized by Google

SPONSALIA.

Mysteria Floræ panduntur. Quomodo planta nascitur. Seminis expansio; germinis eductio. Quid conferunt folia seminalia. Quomodo germinant aliæ plantarum partes, medulla, cortex, lignum, vasa, frondes. Pubertas plantæ, amores. Quid sit flos; ejus partes, usus antherarum; pistilla, germen, stylus, stigma. Amatoria florum certamina in variis speciebus considerata. Plantarum sexus: mas et femina quandoque habitant in discretis sedibus. Phœnomena animanti consona quæ eis competunt. Ingeniosa phœnicum fecundatio. Mira Valisneriæ hydrocharidibus à recentioribus annumeratæ. Actio germinis post petalorum secessum propria. Vivit planta animantis ad instar; respirat, se movet, frondes et radices quærunt cibum, senescit, et, percurso vitæ suæ curriculo, moritur.

In nova nunc rapior naturæ castra; renidens
Me sibi Flora vocat: te cito, Flora, sequar
Quo jam cumque trahis; Tempe per amœna vireta,
Vel per Amymones, perve roseta Paphi,

Digitized by Google

Te sequar, et vulgabo tui mysteria lecti:
Cur Zephyrus cunctas depereundo moras
Dimovet, insequiturque levem juncturus amores:
Quæ præeunt igni mollia pensa suo,
Panchari, cuncta loquar; tacitos quoque conjugis astus:
Hinc tibi disce modum quo recalescat amor.
Omnis ab expanso pubescit semine planta,
Quod calor intus agit, mox novus humor alit.
Compos jamque suî germen cito vescitur aura,
Ac simul inflati dissiluere lobi.
Dumque novos intus sorbet radicula succos,
In caulem assurgens crescit eundo magis
Plumula, cui ducunt minimo spissanda calore
Mox alimenta lobi; sic nova vita datur.
Hi sensim in folium genitivum utrinque virescunt,
Queis incumbit onus molle fovere novum
Embryonem, vel ei suctam committere lympham.
O quam Chloris amat, cara, caveto, precor,
Ne tibi forte novæ caulis mala dextra trucidet
Hæc folia ante diem, cum foret absque suis
Planta dein succis nutriceque, moxque periret
Quæ juvenilis erit gratia blanda comæ.
Cara, foveto tibi teneras spes, excole fœtum.
Mersa sub uberibus parvula planta latet,
Quæ mox exsurgit cœloque potitur aperto.
Jamque medulla suo cortice tota datur,
Cum nova nascuntur folia exarente priore,
Et dum quæque suum perficit intus opus,

Digitized by Google

Suctio radicis crescit crescente calore.
Affluit humor ei, fasciculusque recèns
Fibrarum exoriens conoïdeus ipse medullam
Semovet a tenero cortice, datque dein
Lignosum stratum subtus cui gemma tumescit.
Vere novo mucus spissior omnis abit
In fibræ speciem, contortaque fibra cylindrum
Aut spiram format densior; unde patent
Diversæ series vasorum; sicque quotannis
Fasciculi surgunt mox nova strata dati.
Durior hinc cortex cauli, gemmæque facessunt
Ad latera innumeræ; luxuriando dein
In frondes, et uti radix, ita brachia truncus
Omnis habet liquido molle natura Jove.
Jam sua pubertas plantæ qua junget amores;
Nunc Hymenæus adest luxuriante coma.
Unit amor plantas, et habet sua castra Cupido
Ruribus et sylvis, flos ubi vernus hiat.
Naturæ dicunt studiosi nomine florum
Veris opes, quot eunt versicolore sua
Conspicuæ forma, totidemque cubilia sponsis
Mox ubi congressus gratior hora venit.
Flos plerumque suo tegitur calice ante dehiscat;
Cumque recessurus, nunc variatus hiat
Alter honos, olim veteres dixere corollam,
Chloridos unde comæ nascitur omne decus.
Quam merito natura sophis his rideat aulæ
Cultibus, et quantus naribus halat odor!

Digitized by Google

Sed stata pro genesi incumbunt sua pensa corollæ;
Stamina nempe novo rore fovere suo
Quem dedit ante liber jamjam de more movendum,
Ut suus antheris succus opimus eat.
Quod si anthera suo forsan privetur honore,
Luxuries petalis hinc sua tumque decus;
Sed spado flos splendet, nec habet quod jactitet ille
Hancce venustatem. Sors ea nota rosæ;
Hepaticamque manet, violam, delphinia, caltham,
Narcissum mollem, leucoionque rubens.
Nam dum succus adit petalum quodcumque fovetque,
Stamina degenerant, germen inane perit.
Hæc sibi monstra legit naturæ Flora; spadones
Hos amat, hinc illis vafra cubile sui
Conjugis exornat, lentos ut excitet ignes,
Sicque trahant citius queis micat illa, faces.
Jure putes floris stamen maris organon esse,
Turgidulum proprio semine; pollen habent
Anthologi. Tenuis vesicula continet illud;
Spiritus intus inest, mox et iturus eo
Quo genitura latet nimirum floris in imo.
Pistillum dicunt quod gerit omne vicem
Conjugis; hicque recèns referunt germenque stylumque
Stigmaque phytologi pervia quæque super;
Matricisque loco germen proinde putarunt,
Esse, quod huc lateat mox alimenta sibi
Embryo tracturus. Sed adhuc nova pensa recurrunt
Libatis illis; dicere nempe novi

Digitized by Google

Floris amœna scopo præludia quæque quotannis,
Unde propagando permanet omne genus.
Nonne vides violam tricolorem, nuper amorum
Ignaram, rima nunc et hiare sua,
Ac simul emisere sui sua quinque mariti
Spermata? Mox cernis stigma colore novo
Mutari, implerique sua generante farina,
Intus quam retinet melleus humor ei.
Quam cito gratiolam Veneris trahit acrior æstus!
Stigma rapax instar sæpe draconis hiat,
Nil nisi pulveream nubem sibi seminis optans,
Et rictum claudit cum cito traxit eam.
Nunc attende, precor, campestris ad illa nigellæ
Phænomena. Ut primos flore patente ciet
Lætus hymen coitus, pistilla recentius ortō
Sunt producta magis stamine quæque suo.
Inflexi torquentur eundo styli, vel in imos
Prospiciunt sponsos, pollen ut inde trahant;
Moxque resurgentes alio tolluntur honore.
Adde quod ipsummet stamen, ut omne bibat
Pistillum semen ventis perflantibus, illud
Ambiat, et sibimet cingat amanter idem.
Inde securidacis pistilla carina corollæ
Declinata tegit, stamina tumque latent
Mox missura auram, pluvias arcente malignas
Vexillo. Fagis flos suus omnis adest
Mas plerumque supra flores quos conjugis instar
Sponsus habet, melius sic genitura meat.

Digitized by Google

Hoc quoque deinde magis traxit mirabile dictu,
Nimirum quod eæ quæ caruere toro
Plantæ, juglandem, betulam numerabis, eodem;
His flores gemmant frondibus ante novis
Quam caulis fruticatur : ea ratione putarem
Ne noceant genesi luxuriando comæ.
Quot vel ubique, jubar Phœbo mittente, dehiscunt!
Qui labente die complicŭere suas
Alas, ne dubiis pollen lædatur ab auris,
Neque pruinosæ noctis acuta premant
Frigora, sic nequeat densatum ad stigmata ferri,
Omnis abest motus cum genitura suam
Pervasit rimam. Dicam quoque mira relatu
Quæ sibi ludibrio bardus habebit homo.
Stipite materno carptis phœnicis alumnis,
Agrestes proprio polline quemque datum
Succutiunt Arabes ramos per spadicis omnes
Feminei, vel eum non procul esse student:
Unde latens ovo citur plerumque favilla,
Sicque parens prolem fœta deinde gerit.
Sique procul species habitent, mas dona remittit
Mox sua, quæ Zephyrus portat ovando suæ
Conjugis in gremio; conjux respondet amori
Quæ patri natos est genitura pares.
Chloridos inde ferunt Zephyrum prius esse maritum
Mythologi, quod ei flamine sæpe favet.
Inter hydrocharides species mirabilis exstat,
Quæ, dum vere faces excitat intus amor,

Digitized by Google

Phænomena expromit vulgo non nota profano.
Hæc dioica latet plantula mersa vadis;
Feminei flores scapo laxante retenti
Emergunt; meretrix quæritat inde sibi
Quæque marem. Interea spatha pronuper hiante,
Masculi, ubique mares exsiliendo secus
Flores, atque sui juris vel eunt abeuntve salaces,
Sicque trahunt mœchas quotquot amore datas,
Et plerumque sua dando virtute protervas,
Ad vitæ motus semina cuncta vocant.
His actis, flores citius merguntur in undis,
Dum trahitur scapus quo prius ortus erat,
Vi subeunte nova vitamque ciente futurám
Embryoni subter qui fruticandus aquis.
Nox vocat ipsa procum dominæ plerumque cubili,
Et tenebris ignes obsequiosa fovet.
Lætius æqua die celebrant connubia plantæ,
Ac simul aurora vallis aprica rubet.
Intereaque faces acuunt cantando volucres,
Et tardos stimulant ad sua pensa procos:
Sole sub ardenti multæ consortia quærunt
Moxque recessuræ nox ubi cuncta nigrat.
Disperit omnis honos flori quo germen amica
Aura donatur; staminibusque suis
Tum petalis quidquid prius iverat, ovo
Allabens minimo semina quæque fovet,
Maturusque tumet fructus, mox marcidus aret,
Et fecunda gerit semina fulta suo

Digitized by Google

Umbilico septis, propriisque recondita cellis,
Sæpe perispermis tuta perinde suis.
Ast ea mox libata probant animantis ad instar
Esse omnem plantam, quæ sibi more suo
Vivit et augetur vitali pervia succo.
Nunc nos attonitos ulteriora manent.
Spiramenta patent foliis cernenda retortis,
Quæ subit æthereus quo refovetur eis
Vita magis fomes, meliusque moventur in orbes
Omnigeni latices, sole parante vias
Et ramos animante novos frondesque bibaces.
Et sua sunt foliis multa superne recèns
Oscula visa vitris cœloque patentia puro,
Queis halant plantæ quæ nocitura forent
Purgamenta. Movet frondes ad solis honores
Quæque novi, pandit, deinde recondit eas:
Sic veniente die labenteve vita fovetur;
Utque ferunt species, motus ubique subest.
De quærente cibum sparsim radice silebo
Plurima digna notis, ne lutulentus eam.
Sic erit imponenda meis calx ultima dictis,
Pandendo vitæ fata suprema datæ.
Omnibus ipsa satis etiam sua nota senectus,
Qua veniente riget caulis hiando novis
Rimis. Siccescunt rami moriturque medulla,
Putrescit radix, vasaque cuncta putrent.
Interiora subit vacuæ compaginis aer,
Mutandoque vices detrahit omne fibris

Digitized by Google

Quod fuerat solidi, vel aquosa trahendo
Dissociat partes quæ coiere prius.
Exin planta datis morem gerit ipsa senectæ
Legibus, atque lubens emoriendo cadit,
Cum videt extinctos habilem renovare parentes
Progeniem, jamjam quam nova fata manent.
Indeque jure putes vegetantia more foveri
Quo sumus: hinc laudis præmia sunto Deo.
Sed jam, cara, procul nimium me copia duxit:
Sic me percellunt quas habet orbis opes!
Hæc tibi sufficiant, ut eis edocta magisque
Ac magis artificem jam venerata canas.

Digitized by Google

SOMNIUM.

Doctrina Zoroæ admirationem movet Pancharitì : hanc exoptat illa verti suæ frugi. Naturam magis dehinc ipsi placituram esse, nec passuram se à tanto fenore privari fatetur. Ipsius somnium; non se duci ab illo, attamen putat cultum Minervæ jungi posse, et merito, cum Veneris cultu.

Quæ tua dicendi, Zoroa, dum condita narras
Naturæ gremio, copia, quisque lepos!
Unde tibi veniunt tot inedita semina tantæ
Doctrinæ? Quanto ridet amica magis
Olla parens rerum, quoties arcana revolvis
Queis ditat minimum sedula semper opus!
Sentio jamque magis duci, magis atque foveri
Nunc desiderio quo tua quæque meæ
Hæc documenta fluant frugi; sed erunt nec inerti
Germina nec sterili semina jacta solo.
Tantane sic mundo passim peraguntur in omni
Totque opera, et pergent jam sine fine dein!
O quam jure dehinc natura stupenda patebit
Nunc operis quod erim semper inhæsa suis!
Quidquid ais, cupidæ menti tua verba recurrent,
Nec me jam patiar, spe subeunte magis,

Digitized by Google

A tanto rerum privari sponte novarum
Fenore, nec nugis posthabuisse ferar
Seria. Sed quod adhuc nostra pro parte merebit,
Accipe jam paucis, somnia noctis erunt;
Somnia danda fide majore, quod illa retexit
Cornea porta dolos non mihi lata prius.
Nocte sub hesterna fessam dum somnus alebat,
En oculis sistit diva Minerva meis,
Virginis os habitumque gerens, circumdata nimbo,
Nuda genu, nodo pone ligata comam.
Quæ simul his. « Quænam rerum te inscitia fallit,
Quisve tuos sensus nunc malus error agit?
An patieris adhuc florentia tempora vitæ
Quæque tuæ, virgo, sic sine fruge teri?
Euge; nec ipsa Cypris ducat sibi semper honores,
Nec sine ut ante oleam jam tibi myrtus eat.
Semina ni fuerint agro commissa recenti,
Irrita tunc fient, ortave sæpe macent.
Sume tibi monitus, nec erunt virtute subinde
Absque sua. Absument otia quique dies,
Canitiesque feret vitæ cito tædia seræ,
Ingeniumque dolens flebis inane tuum.
Ducere quippe Venus gaudet lasciva juventæ
Tempora blanda, senes nec sinit esse sua
Lege datos; sed ego cultoribus omnibus adsto
Tempus in omne decus, dulce levamen eis.
Euge igitur virtute nova; dehinc omnis abesto
Segnities, valeant jam mea jura magis. »

Digitized by Google

Vix ea fata fuit, liquidas mihi visa per auras
Ire levi nitens nube, retecta Deam.
Nec ea sum nec ero, Zoroa, quam somnia ducunt;
Nec vanas species in mea damna feram:
Sed quæcumque cadunt frugi, vigilemve, soporve
Me premat, illa sequar, dum meliora dabunt.
Ergo dehinc nobis Veneris jungenda Minervæ
Munera muneribus, mixtaque semper eant.

Digitized by Google

PRÆDIUM.

Descripta veris amœnitate, concludit Zoroas solummodo felices esse illos qui paterna rura colunt. Labor villici. Ipsius cura in recondendis sulcis vitis propaginibus : gaudium in aspiciendis bobus suis in valle pascentibus; quæ lætitia autumni tempore in carpendis fructibus; oblectamenta in hieme; voluptas dum blandiuntur eum uxor, nati et familia.

TANDEM cessit hiems canos excussa capillos,
Non rauco stridet nunc Aquilone nemus;
Nec glacie densa fluxus cohibetur aquarum,
Vel late campos alba pruina tegit.
Jam sese cœli diffundit amœnior aura,
Terrigenisque parit cuncta tepore suo.
Omnia solvuntur Zephyris redeuntibus arva,
Fecundisque calens decidit imber aquis.
Sole novo resolutus ager jam parturit omnis,
Gramine ridet humus disparibusque comis.
Non stabulis gaudent pecudes, non villicus igni;
Garritu vario gaudia promit avis.
Ante rigens herbis sinuosa volumina torquet
Nunc maculata novis ipsa colubra notis.

Digitized by Google

Thracia suspendit lutosa cubilia tignis
Ales; amœna canit carmina pastor, oves
Pascere dum late gaudent per gramina clivi,
Et docilis modulos fistula mollit ei.
Carbasa tenduntur ventis inflata secundis
Marmore Carpathio; nauta recurrit inops
Ad nova, pauperiem fugiens, discrimina ponti,
Nulla dein dicens esse probanda sibi.
Jam nova germinibus sparsis natura resurgit,
Expanditque suos luxuriosa sinus.
O nunc quam felix læto sibi, Panchari, vivit
Omine qui proprias hic bene curat opes;
Qui, procul urbano strepitu, bobus ipse paterna
Rura suis renovat, fenora nulla coquens!
Miles eum nec agit tremulo clangore tubarum,
Nec lare lucripetam dissita terra vocat.
Ignorat pelagique minas Boreæque furores,
Declinatque forum, tum spatiosa ducum
Atria; vernarum gaudens examine, curat
Mansuetus penso quemlibet esse suo.
Ergo vel intorta salices propagine vitis
Conjugat humentes, falce subinde putans
Omnivoros ramos, sectosque recondit alumnos
In sulcis, viva quæ madefecit aqua:
Aut procul aspiciens sparsos in valle reducta
Ire greges, numerat quas dabit inde jugo;
Mellaque pressa favis nitidis infundit in urnis,
Et, veniente dein tempore, tondet oves.

Digitized by Google

Ast ubi distinctum pomis caput extulit arvis
Frugifer autumnus, quæ sua pura viro
Gaudia dum carpit natos sibi palmite fructus,
Vel pyra quæque ferunt arva, quot hortus habet
Arboreos fœtus passim, quibus ipse, Priape,
Munere te donet, teque, Lycæe deus!
Juverit, ille cubat plerumque sub ilice densa,
Vel modo quo rivi gramine ripa viret;
Intereaque cadunt alto de fonte loquaces,
Et volvunt musco saxula glauca novo
Propter aquæ, mulcente suis concentibus æthram
Alituum cœtu, molleque flante Noto.
Sic sua membra levi reficit sublesta quiete,
Dumque calent auræ, sæpe sopore gravi.
Sed cum sævit hiems, stringuntur et arva rigenti
Lata gelu, aut densa sub nive terra latet,
Hinc illinc acres multa cane trudit in illa
Quæ struxit cautus retia nuper apros;
Aut tendit laqueos turdis lurconibus aptos,
Vel pavido lepori, Strymoniæve grui:
Quæ jucunda manent totidem solatia fessis
Ruricolis, festos sole ferente dies.
Quis tunc quas et habet curas amor ante malarum
Hæc inter possit sæpius esse memor?
Sique pudica juvans uxor pro parte domumque
Et dulces natos, Apula qualis erit,
Conjugis ad voces cremium det lætior igni;
Inde suum claudens cratibus ipsa pecus

Digitized by Google

Fraxineis passim, turgentia siccet utraque
Ubera jamque manu, vinaque prompta cado
Quæ prius autumno tulerat sibi collis apricus,
Et ponat mensis quas dedit ipsa dapes
Villula; dein veniat proles dilecta parenti
Blandimenta parans, oscula dando simul
Plurima: cui Lucrina bono conchylia sponso,
Rhombus et Ionius, Carpathiusve sparus,
Si quos, flante Noto pelagoque furente procella,
Vertat ad Icarium stridula littus hiems?
Hæc mihi contingant deinceps, non Afra volucris
Colchave jejuno dulcior esca foret
Pinguibus e ramis lecta mihi nuper oliva,
Vel molli lapatho vere virente mihi,
Aut festis balante tuis, o Termine, cæsa,
Ereptave capra fauce rapace lupi.
Ut juvat interea, saturas glecomate, videre
Barbigeras pecudes segniter ire domum,
Languentive boves molem cervice trahentes
Vomeris inversi sæpe morante rota,
Vernarumque manus, percultæ insignia villæ,
Quæ circum nitidos est operosa lares!
Ah nobis olim faciant hæc otia Divi,
Panchari, et omnivorum nil moror inde malum!

Digitized by Google

Cespite clam lateas, viola, obvelata nigello
Tegmine. Vos, pueri, discite qualis erat
Asperitas fati pudibundæ numine lævo,
Ut data ab antiquis vatibus ipsa fuit.
Nympha pharetrigeræ steterat comes ante Dianæ
Candida, et hinc flori, nomen Ianthis erat.
Viderat hanc Phœbus vaccas pascendo Phereas:
Protinus et periit, nec sibi cavit amans.
Moxque cupit speratque Deus connubia nymphæ;
Ignis tantus ei pectoris intus erat.
Olla, velut crimen flammas exosa jugales,
Iverat ex oculis, se retrahendo procul.
Nilque vocantis erant frugis bona verba quot ipse
Jactabat timidæ, quin properata magis
Declinabat eum. « Quid inops ita mentis? amicam
Da faciem, quod ego non, ait, hostis eam.
Quem fugis, ah! nescis; dico, temeraria, nescis:
Jupiter est genitor, Delphica terra colit.
Per me quidquid erat vel erit, constatve, patescit;
Per me concordant carmina nexa lyræ.
Arcipotens dicor, quamvis sit et ipse Cupido
Certior. Inventum stat medicina meum:
Hei licet inde meo nequeam vel habere dolori
Lenimen, cassum vel medicamen eat. »
Attamen illa petit sylvas audita Dianæ,
Colle nec aprico virgo deinde stetit.
Ah! quoties dixit nemorum Dea: Cara, caveto
Heu colles! Phœbus nam sibi carpit iter

Digitized by Google

Per colles, crebroque volat per aperta locorum.
Morigerans virgo sæpius ibat inops
Per valles, pedibusque levis deserta petebat,
Umbrosos fontes egelidasque specus,
Impatiensque Dei fugiebat in avia quæque;
Nec quid Amor, quid Hymen, quid decor ipse suus
Hortantur curat, suffundens ora rubore
Protinus ad nomen, cum retulere, proci.
Ah malesana nimis, quid eras exosa calores
Queis meliore dehinc sorte beata fores!
Quod Deus omnis habet cordi, mox exitus esse
Huic citius debet vi prohibente moras.
Ipse pudoris amor jamjam male cesserat illi,
Atque, Dei tacitos experitura dolos
Mox erat indocilis, tandem cum Diva: Puella
Ah potius pereat cui sua forma nocet!
Vix effata, nigra tinxit ferrugine vultum,
Et dedit esse novum, cui suus insit honor,
Florem, quem violam vel ion dixere poetæ.
Sed mutando genus complacuere magis
Quæ prius huic sedes pristinaque claustra viarum;
Vallibus hinc imis flos amat esse pudens.
Panchariti, faciles auræ, vos dicta referte;
Inde mala agnoscat quæ pudor ipse tulit.
Heus pueri, ampla seges metitur, properate canistris,
Flora meis votis obsequiosa monet
Quæ veniunt ubicumque mihi nunc munera lectu,
Humida adhuc lacrymis noctis et apta scopo.

Iteque vos, flores nitidi, somnoque sepultæ
Panchæas auras mittite quique meæ
Jam dominæ, revocate faces revocando sopitam,
Ut sciat hic dudum me vigilare sibi.
Et tu nocturno læte, rosa, rore renidens,
Purpureo moneas, oro, colore genas
Basiolis nostris pictas jucundius iri,
Illis unde, puto, mox erit alter honos.

Digitized by Google

PROMULSIS.

Zoroas ruri assidens amantius Panchariti, quædam basia ab ipsa expetit delibanda; quot efflagitat; innumera ab exemplo Auroræ, quæ non parce irrorat vireta. Ne eum contristet repulsis illam deprecatur; voluptas qua beatur dum illa dat et accipit ille.

Nunc sub ea platano gratas et amoribus umbras
Dante meis, liba quot dedit ante Venus
Suavia Mavorti, claudo deprensa marito;
Quot, mea mulsa, tuo nutrit in ore rosas
Divus Amor; quot eunt passim tibi pone capilli,
Quotque faces oculis; spicula quotve sibi
Alternis mittunt linguis retrahuntve palumbes
Vere novo : nobis bella labella gerant.
Calculus absit eis, refugit quem tanta voluptas.
Æstivone Ceres tempore quasque sui
Enumerat spicas capitis? num Flora recenset
Abdita odorifero roscida dona sinu?
Nec Zephyrus proinde rosas quas perflat in hortis
Idaliis numero sic studiosus habet.
Dum Matuta diem pandens dat ab axe corusco
Ætherei quod habet luminis omne jubar,

Digitized by Google

Non parce lacrymis irrorat quæque vireta,
Prodiga sed multis undique ludit aquis.
Ergo mihi desiste tuos numerare favores,
Qui tenus usque minas et tua verba nimis
Aspera non numero retuli. Nunc pone querelas,
Et misce monitis mollia verba meis.
O cedas precibus, quæso, cedas et amori;
Namque voluptatis causa duobus erit
Inde tibi nondum notæ : me siste beando;
Et procul omnis eat jam nova causa moræ.
Non me contristes iterumque iterumque repulsis,
Et pensent citius suavia multa mihi
Tot lapsos questus, mellitaque millia redde.
Si numerata stupes, non numerando dabis;
Omnia vel turba, nemoque sit invidus illis
Hic ubi nunc solum sola beare queis.
Et tua lingua salax repetito vellicet ictu :
Blanditiæ arma tibi, basia plaga mihi.
Deliciosa voluptatum nobis et amorum
Pugna! cie bellum, Panchari; namque placet.
O mea, sic soles vacuos dehinc ire sinamus,
Carpat vel laudet garrula lingua senum.
Transibunt risus, transibit et ista voluptas:
Sic in amore nimis tempus eundo fugit.
Undique si saltus, horti, collesve virescunt
Vere novo, nobis non licet esse pari
Sorte datos : meminisse juvat nunc tempus abire,
Mox nec idem rursus quod prius esse dein

Digitized by Google

Venturum. Peragrat cœlum sol passibus æquis
Ascendens labens; sæcula sicque parit.
Sed cum crudelis vitam Libitina diremit,
Nox erit, heu! nobis, nec remeanda palus.
Hinc citius tractanda Venus, tractanda voluptas,
Armaque tractemus quotquot Amoris erunt.

Digitized by Google

CHYTRINDA.

Ruri pueriles lusus. Pancharis et sociæ carpunt flores nectendis corollis aptiores; sertula formantur earum vestes ornatura. Cantus et moduli. Ducuntur choreæ. Pancharis sibi oculos obvelat; basia libant ei comites, nec ea delibatorem potest divinare. Se obvium illi objicit Zoroas et tria figit; vim noscit, unde premit verba metu. Condonatur amanti. Abeunt comites; sed abeundo quæque cupit quod talia sibi clam figat amator.

QUAM juvat ipsius nitidæ meminisse diei
Qua mea lusa fuit Pancharis ante doli
Nescia! Tempus erat fruges quo falce resectas
Carpebat messor, quo fugiendo faces
Ardentis Phœbi Doris quærebat in imo
Oceano frigus, mox subitura sui
Conjugis ardores; nuper cum rure remansa
Sole sub occiduo nostra puella suis
Mixta recursabat per amœna vireta Neæti,
Incipiendo novos, quot placuere, jocos.
Sic et Amazonidum, positis post prælia telis,
Cursitat huc illuc exhilarata manus,

Digitized by Google

Devictoque suos cantans ex hoste triumphos
Ludit ad egelidas Thermodoontis aquas.
Floriferi candente manu tunc ruris honores
Quæque sibi plaudens, messeque ducta sua,
Ibat ubique legens: Beroe vaccinia carpit,
Aglauros calthas, Euphrosineque rosas;
Pulchra Thais clitenum, cyanos legit alba Lycoris,
Narcissum Cyane, partheniastra Lais;
Lilia Phyllis amat, polion Leodora jocosa,
Viriginemque bonam bellis amœna trahit.
Et stola cuique vicem præbet succincta canistri,
Pancharitique refert, quæ strepitantis erat
Ad rivi latices sociis nectendo corollas.
Interea ardet opus: florida quæque legit
Munera tum nemoris, prati, tum ruris odora;
Sertula contexit quæque puella sibi,
Involvens et eis humeros pectusque caputque:
Dixeritis cunctas Chloridos esse manus.
Fragrantes flores, vestræ quæ gratia formæ!
Sed magis heu quanto labilis illa subest!
Lilia quam potius dominæ vernantia collo
Me traherent, vel eæ queis nitet illa, rosæ!
Incipit ambrosios cantus mammosa Glycera,
Dum crotalo sequitur sæpe morando Lais.
Tum choream ducendo movent retrahuntque vicissim,
Accelerantve pedes, gramina vixque premunt.
Ludite, nunc viridis vitæ, nec amœna, puellæ,
Tempora tristitiæ sint data vestra nigræ:

Digitized by Google

Ludite; dumque sinunt currentes instar aquarum
Anni, neu vestris desit origo jocis.
Terpsichores lapsis jocularibus incidit illis
Jam nova causa doli. Pancharis ecce suæ
Fasciolam ducit fronti; sic lumina velans,
En fit Amor: tacite turba coarctat eam.
Basia jam Cyane figit lasciva corymbo,
Aglauros oculo, pulchra Glycera genæ.
Sic sibi quæque serit mellita metitque jocose,
Dicere nec poterat quæ tulit illa prius
Pancharis. Ah steriles lusus sic segniter acti
Queis pueri desunt! Ecce repente ruo
Dumeto quod erat frondens prope, sumere tentans
Quæ poteram messis basia grata mihi.
Jam dubito turbare manum, cum protinus ultra
Me tulit ingenium. Sic cito spes et amor
Me fecere reum: velox minus emicat alta
Fulgur ab axe cadens. Territa turba fugit
Longius hinc; sed amore flagrans ducebar ad illam
Quæ sibimet passus traxerat ante meos,
Oreque flammifero figo monumenta corymbo
Ignis trina mei. Pancharis icta novam
Vim sensit, fallique nequit, quod et usque dedere
Talia non sociæ. Tuncque dolosa statim
Basia quæ tulerit Cyane perquirit ab illa:
At tremit inde rubens, et taciturna premit
Labra metu, patuitque dehinc fallacia turbæ;
Intus at ipsa suum judicat esse procum.

Digitized by Google

Et jam vesper erat veniam cum nocte reducens,
Qua toties pretio furta fuere bono.
Condonabatur sonti, cum rapta puellæ
Vertebant turpi suavia quæque nefas.
Hinc vindicta fuit jurata, sed ore resedit:
Iratæ comites terga dedere simul,
Culpando facinus, pœnasque repente poposcunt.
Instat quæque suis vocibus atque minis;
Sed jam quæque cupit quod amans sibi talia patret
Furta, cito proprias sic silet icta faces.

Digitized by Google

THERAPEIA.

Dormit Pancharis ad oram rivi strepitantis: neglectus sui vestitus, nudorum artuum positus, motus amabilis uberum. Zephyrus sublevat ei strophium, prodit alabastrus è claustris, figit ei basia Zoroas. Pancharitis error, increpatio ad apem. Se notum dat ipsi doli reus.

Sole sub æstivo, rivi strepitantis ad undas,
Dum fesso pecori gratior umbra foret,
Sola procul dederat molli sua membra quieti
Pancharis, et stratæ cespitis herba torus.
Quidquid erat laquearis ei dabat ulmus amica,
Mollibatque animum lene susurrus aquæ.
Aura levis cirros stringebat amantius udos
Unguine, et afflabat quidquid odoris erat.
Pancharitis curas somnus mulcebat, et omnis
Gens avium citis anxia jure modis,
Ne turbetur ei requies, proinde silebat.
Sic mihi tunc casus se tulit iste bonus.
Diva Venus! niveos linum sine lege recurrens
Artus velabat, transque videre dabat
Huc illuc temere nudati corporis omne
Quod sibi mollities et quod avebat amans.

Digitized by Google

Premebat cervix lævum deflexa lacertum,
Alter et obversus molliter actus erat
Quo navigare datur Cythereia littora versus.
Sertula molle suum versicolora latus
Ornabant, passimque vagi per colla capilli
Candida sponte sibi comperiere viam
Usque suî zonam, nec erant data bina quieti
Ubera, quæ duro carcere pressa suo,
Vim vi pellebant reditura abitura vicissim.
O bona sors! prodest quam meminisse tuî!
Mox aura Zephyrus strophium leve movit amica,
Sic ut hient oculis lilia multa meis.
Halitus unus adhuc, dixi, rosa verna refulget
Jam mihi, vos animæ. Solvit et ipse cito
Tunc Floræ conjux lemniscos: unicus obstat
Nexus abit lente; claustra refracta sinunt
Emergi Pueros: alabastrus prodit amœnus
Mox sese fidens ausibus inde meis.
Uro timens, adsum propius temerarius ipsi,
Osque meum nymphæ suavia trina dedit
O cui non similem Gnidiis legere rosetis
Alcinoive solo, quam neque Sicla tulit.
Evolo. Tunc ardore nimis cruciata, corymbo
Illa tulit dextram, qua cito prendit apem
Quam rosa pulchra sinus deceperat, unde relictis
Anthemide et violis ibat alenda super.
Siccine me lædis, dixit, mucrone cruento!
Plectere pro damnis quæ duplicata placent.

Digitized by Google

O mihi parce dolum, clamavi, parce fatenti:
En apis ipse; precor, plecte repente reum;
Vel potius patiaris opem ferat ipsa dolori
Quem prius excivit callida nuper apis.

Digitized by Google

VELITATIO.

Zoroas pressius urget Pancharitem, et quærit mercedem ipsius studii. Hæsitatio amatæ et muta confessio. Raptus Zoroæ, felicis animi expansa verba; frustra nititur contra pudor. Expediuntur è carcere Veneris lepores; agoni prævia velitatio. Supplicatio ad Venerem. Inertia dimicatoris.

Fata favent tandemque mihi mox prospera spondent.
Ergo tuo amplexu colloquioque licet
Jamque frui, nec erit testis qui turbet amores!
Panchari, nunc dicas an placuere prius
Quæ tibi devovi, curæ studiumque, parato
Discere, seu faveas vel reprobare velis
Sinceros ignes; refert mihi vera fatere,
Ut sors ipsa dehinc sit stabilita proco.
Fœdera nunc etenim ponis, nunc rumpis et illa,
Nec perjura times sic revocare fidem.
Nulla mihi responsa dabis? Quid, et ambigis! Unde
Hæ dulces lacrymæ quæ tua labra rigant?
Sponsa supercilio video tua, gaudia cerno,
Et tibi quid dulcis quod movet intus amor.
O me felicem quod eis agnosco triumphum
Jamque meum! Metuas nil, tibi servus ero.

Digitized by Google

Excessere labris tandem mihi spesque salusque;
Ah mora neu votis ulla perinde meis!
Suavier illa rosis rubriora magisque sapora
Melle favis presso, terque quaterque premam.
Suavia quid referunt? uror magis hisce magisque
Occursura meæ dum tua lingua venit.
Et simul alludunt gemino sibi cuspide binæ,
Vulneraque instaurant perniciosa proco.
Excipe meque sinu refove, mitissima, blando,
Et tua sint nostris consona verba jocis.
Nec manus huic penso desit : nunc æmula linguæ,
Incitet hæc Venerem lene meando pigram.
Quam nunc molle natant oculi cervice reflexa,
Dum me blanditiis suaviolisque beas,
Dum nudando sinus sedendoque sarcina nostro
Grata genu passim mulcet eundo manus,
Cervicemque amplexa meam, mox gaudia versans,
Languidula in pectus concidis inde meum!
Exanimis labor quasi subeunte veneno,
Cassaque mens refugit sæpe trahendo moras,
Quam nova mox revocant udis certamina labris
Concita, tum morsus dente procace dati.
Ah vivam, vivam, quod iis sic versor amicis
Fatis, et tandem sit data meta malis!
Pone metus, permitte meis ardoribus omnes
Ausus qui possunt nunc stabilire fidem.
Suavier ergo voluptates mihi mox et agones;
Niteris incassum jam mihi, caste Pudor!

Digitized by Google

Pulchra quidem vultu, sed eris formosior hercle
Si solvas nodos obsequiosa stolæ.
Cede preci proinde, meas neu fascia velet
Delicias, citius quæque mamilla suo
Carcere prosiliat; Veneris decet esse lepores
Ornatu nullo, quæ micat ipsa magis
Nuda sibi. Sugam cupidis Hyblæa labellis
Mella quibus semper pressa papilla madet.
Lux mea, depereo; mixto pugnemus amore,
Et pugnæ tardet præmia nullus obex.
Neu timeas nobis, conopea ducta recondent
Qua vaga plebs quiret forte videre jocos.
Vestis eat citius, nostrum ne tardet agonem;
Et Paridi qualis jam Venus ipsa fuit,
Siste, procoque, rogo, pandas quoscumque recessus:
Nam debent oculi semper adesse duces
Callibus in Paphiis, dubius ne flectat euntem
Error de cursu, vel dolus ullus agat.
Excubet ipse Cupido sacris arasque tueri
Janitor attentet, lætius ibo viam.
O optata mihi toties Venerique vehendæ
Concha parata magis quam fuit illa freti!
Ostra quid Assyriæ magno tollantur honore?
Nil jam vester erit quem coluere, color.
Optima pars animi, nostris procumbe lacertis:
Arma mihi subsunt, nunc tibi bella geram.
Pugna semel certe, melius repetita placebit;
Et cruor effusus mortifer esse nequit.

Digitized by Google

Dic mihi quid teneri. Quid, amans, avertis ocellos,
Teque meo removes sic lacrymando sinu?
Pone metus, hortor; lacrymas mea basia siccent;
Basia sic pactæ pignora pacis eant.
O Venus alma, meo præbe nunc calcar amori,
Ut, licet emoriens, jamque renascar ei.
Basia nunc oculi, malæ, nunc labra, corymbi,
Sic omnis regio fervidiora probet.
Panchari, nequicquam quæro nutrimen ubique,
Dum mihi deficio sic ab amore tuî.
Ah miserum! peream quod inertia tela supersint
Cum vi non cassa pugna gerenda foret!
Truncus iners jaceo, sicuti mea membra cicuta
Tacta forent gelida; vis data nulla juvat.
Carmen et herba nocent, ecastor; parce moranti,
Quod dein hos ictus vi meliore feram.

Digitized by Google

POSTILLA.

Somniorum efficacitas. Quam bene recreant miseros in dubiis vitæ fluctibus, magisque procos virginum aspera verba expertos. Somnium Zoroæ. Felicitas sopientis in mediis amplexibus dominæ. Somni solutio. Apostrophe ad Morpheum, ut diutius dein faveat votis.

Somnia vana dedere Dii mortalibus olim,
Ut noctu redeant quæ cecidere die:
Sic cunctis et eunt, abeunt, redeuntque vicissim
Rerum quæque vices; sed levis umbra fugit.
O bona sors hominis ludens sub imagine veri!
Qua stat adhuc gravibus sic medicina malis;
Qua datur omne procis quod erat solaminis instar,
Illecebrisque calent qui riguere dati
Virginis asperiore nota turpive repulsa.
Somnia splendenti lucidiora die,
Queis impune trahit quidquid sibi vota tulere,
Atque quiescendo possidet omnis amans!
Panchari, quæ fortuna dedit pronuper inibo,
Cum somnus premeret lumina nostra levis.
O Amor, illa dehinc verissima somnia redde;
Si secus, ah redeat quo prius actus eram!

Digitized by Google

Tu mihi visa sedens fagi viridantis ad umbram,
Et tibi mollis erat cespitis herba torus.
Ver erat, et late ridebant undique campi,
Certabatque suis cantibus omnis avis.
Per saliceta fluens rivi prope lympha loquacis
Flexibus intortis apta lavacra dabat.
Deliciis captam sedis mox pura vocavit:
In somno facilis sic mihi favit Amor.
Ut simul attendi, salicis me pectore fidi,
Quem caries ævi roserat ipsa prius.
Et jam nuda fere, linoque exuta nivali,
Interula exstabat turgida sæpe levi
Hinc illinc Zephyro, votis nunc unicus objex,
Inscia quam subito detrahis usque pedes.
Quot pavere, Venus, meme proinde lepores!
Quis dorsi lapsus! quis nitor atque color!
O collum, teretes artus, mammæque natesque,
Quam cito me forma vos habuistis ea!
Ah quoties prodire foras me compulit ardor,
Irrita ne nostris verteret hora dolis!
Me tamen abstinui quando te currere vidi
Ad latices vitreos, heu studiosa nimis
Abdere opes tantas oculis fortasse scelestis.
Felices fluctus qui tetigere sinus!
Sub tremulis lucent undis, ut hiantia puro
Lilia quæ fuerint condita forte vitro.
At mox quæ facienda mihi dedit ipse Cupido,
Cujus jura sequi, quæque fuere, juvat.

Digitized by Google

Sic ego jam nudus motis immergo sub undis:
Tota, nec immerito, mox mihi præda subes.
« En, aio, non nostris solves te, juro, lacertis.
Ardeo: nunc ignis fomite detur edax,
Fomite jamque suo detur, nec erit quod abhorres:
Ausus neu pudeat, protegit ista salix
Errores, quoniam quod Amor probat error habendus.
Te latet, ah demens! quam bonus instet aquis
Conflictus; rarumque modum tentemus agonis
Qui tum Tritonum Nereidumque fuit.
Cara mihi, miles venio nec inultus abibo.
O bona, neu fugias, spes mea, sola salus. »
Nec mora: dum fausta pertento sorte potiri,
Cumque medullitus fervida Cypris erat,
Suscitor, unde mihi flammæ vertere nefastæ.
Lucida sic mea sors lubrica larva fuit.
Heu miserum, quod item fatis pessunder iniquis
Nocte sub atque die, nec juvet alma Venus!
O Morpheu, pateram veteris tibi sisto Falerni
Spumantem, necnon quem tulit ora silens
Euphratis consecro papaveris ipse corymbum,
Dummodo digneris rebus adesse meis:
Cumque dehinc dominam præstigia vana reducet
Sub ditione mea, blandulus error agat
Me magis audentem, pergatque diutius illa
Arbitrio nostro, nemoque poste strepat.

Digitized by Google

EORSTATICON.

Festa Cereris. Indolet Zoroas quod Pancharis itura sit ad Matris Sacra; instat ut domi maneat, cultui Veneris melioribus auspiciis servitura. Voluptas quæ beat non est carpenda. Omnipotens solummodo invigilat datis semel orbis motibus, parum curans de cœteris. Litandum Amori. Vana omnis hominum ambitio. Terris Elysium tentandum esse.

Sexta dies Phrygibus Berecynthia Sacra reducit:
Ah soles aberis, Panchari, tune decem?
Quæ Dea quæ cupidos lecti sejungit amantes?
Splendeat, illa mihi vilior asse sonat.
Ecquid erunt frugis vel honos cultusve deinceps
Turrigeræ istius, quid data thura ferent,
Ut procul insulse pergas ad fana vocanti?
Quidve dehinc nobis fletibus ara tuis
Irrorata? Mane, nec eas comes, oro, parenti,
Quippe quod hic melior mox tibi cultus erit.
Nos vocat ipsa Venus, nosmet vocat ipse Cupido,
Amboque nos aris sacrificare jubent.
Dic mihi: si Cragi per amica silentia tuti,
Ad caput incultum lene fluentis aquæ,

Digitized by Google

Dum simul omnis avis concentibus aera mulcent;
Testatique prius numina quæque jugi,
Dicamus, tales habeant nos semper amores;
Si recubando dein nos agat almus Amor,
Dumque tui molles aditus mihi quique patescunt,
Lingua salax nectar suxerit ore tuo;
Sique bonis avibus Veneri moriendo vicissim,
Nos reviviscamus sic vice deinde nova
Ut moriamur adhuc, nunquid carpenda voluptas?
Non vox naturæ fallit, amica, potens.
Cuncta regens nutuque suo qui temperat orbem,
Omnibus intendit, nec studet ille datis
Motibus, hinc illinc animas quia fudit easdem,
Ut rota se volvat viribus ipsa suis.
Auscultando mihi, potius libemus Amori,
Ignes ut foveat consolidetque magis.
Ambitiosus honoris amet sibi nomen inane,
Ignarusque boni condat avarus opes,
Et sophus omne caput rerum causasque movendi,
Fabrica quæ mundi quærere tentet inops.
O stolidas hominum mentes quas larva resarcit,
Omnia cum tenebris nox premat atra suis!
Hinc sua neu semper constet vox plena poëtis,
Et Stygiis umbris, quæque sit ante fides.
Elysium tentemus ibi quo certior usque
Mens erit ipsa sui conscia, cara, boni;
Dumque fluunt vitæ fatalia stamina nostræ,
Gaudia nectamus quæ placitura magis.

Digitized by Google

BRABEION.

Assentitur Zoroæ Pancharis, ipsique addit ut redux è Sacris se fidat famulæ, indeque spondet ei exitum feliciorem. Dubia de fide sui amantis; memor juramenti, spem firmiorem alit. Exoptat citiorem ejus adventum; vi ignota subeunte, anxia hæret qua ratione sibi motus animi leniet.

Cedo tuis, Zoroa, votis, simulansque resolvi
Cedmatibus, credo posse deesse Sacris.
Ast tu, ne mater quidquam subolendo moretur,
Hinc comitare manum, dein prior ipse veni;
Sic ratione data qualem conferre putabis,
Sed qua nunc latitans ipse tegatur amor,
Strictius hærentem monitis mercede redempta
Te zetæ ducet fida Corinna meæ.
Crede ratem ventis spirantibus hisce benignis,
Velaque da cautus ne male tentet hiems.
Sic ope solertis famulæ nos pascet utrinque,
Plenus amor tota nocte, nec ullus erit
Qui male turbet obex versetve sub omine lævo
Thura Cupidineis quæque cremanda focis.
Heu mihi! quo suspensa dedi tibi verba fidemque,
Meque tuam dixi, non sinit esse mihi

Digitized by Google

Mens dubio vexata nimis ne mitteris illa
Vel rapienda nòtis vel minuenda moris.
O quantas et Amor curas movet! Unde molestæ
Rixæ quæ surgunt intus alendo mihi
Spes dubias? Malesana, tuî quid verba caducis
Crediderim foliis nunc leviora dari?
Siccine primus amor subtus mendacia ferret!
Ah procul ista fides qua mihi cuncta ruunt!
Tu genubus toties jurasti nuper amores
Sinceros, ut eam suspiciosa ratis:
Prona fides cupidis nimium venit ipsa receptu,
Et stabilita semel corruit inde minus.
Sic et apud timidam tantum potuere puellam
Ingenium solers blandaque verba proci!
Spes me dulcis alit melioribus ire deinceps
Auspiciis ignes, nec tibi nisus iners.
Ergo veni, citius cordis pars optima nostri,
Vita meæ vitæ, fomes et ignis edax.
Me miseram, quod adhuc animo pudor omnis abivit!
Exsolvor, nec erunt quæ mihi sponte juvent.
Vis ignota subest pereditque migrando medullas;
A te pestis erat, tu mihi fautor eris.
Ah! venias citius, cursumque Cupido secundet,
Omnibus et cœptis annuat alma Venus.

Digitized by Google

OBSTACULUM.

Zoroas ad dominam properans invehitur in rivulum qui meatum negat. Verba dolentis: sistat minas; et cum transierit, exspatietur late, nil curat. Unde veniunt rixæ dum Venus eum vocat, sciscitatur. Quid nuper muneris ei egerit reminiscitur, et inde eum precatur ut det citius viam.

Rivule, quem genuit nivea de caute perennis
Limniades tenuem, quid strepitando vagis
Sic limosus aquis curris, modo limpidus alveo?
Injustas cohibe, quæso, superbe, minas.
Nuper eras humilis, memini, saltuque meatum
Sæpe dabas, nec erat quo doluere proci.
Nunc, malesane, moves iras et jurgia cunctis,
Innocuusque luo quod mihi crimen habes.
Invide, siste minas, nec eas innecte morandi
Amplius heu causas; sperat amica suum
Quem civit Zoroam, detur via jamque precanti:
Exspatiare dein, nil moror ipse luem.
Non te cura mei tangit, crudelis, amoris,
Quin potius rapido vortice volvis aquas.
Unde tuæ veniunt rixæ, quæ causa fragoris,
Dum me blanda Venus lucidiore fovet,

Digitized by Google

Sidere? Sicque vices damnis, ingrate, rependis,
Et foret hinc probris ansa negata meis!
Ah quoties oris amovi armenta gregesque,
Neque tibi desit paulula lympha, sitim
Continui, vel aquis alieno fonte rogatis
Marginis exhausti gramina sicca dedi!
Ne caput arescat, Fauni, meministis, amici,
Quos sevi corylos unde sit umbra jugo;
Et quot ab arboribus decussos turbine ramos
Elicui, ut latici debitus esset honos.
Nomine si clarus, vel Ionia jactitet ipsa
Virtutes, illud nostra Camœna tulit,
Ex quo delicias lambisti quotquot amatæ,
Dum sibi quærebat frigora nuper aquis.
Rivule, siste minas, nec adhuc mea vota morare:
Ad dominam propero; da mihi, quæso, viam.

Digitized by Google

DESPOLIABULUM.

Se sistit Zoroas condicta die, amatam exspectat in conclavio. Ipsius affectus in miranda supellectile quæ tum vestiendæ, tum ornandæ amicæ inserviunt. Se in Veneris vel Charitum recessu credit; verba precantis ut citius amica ad se ipsum veniat. Invocat Cytheream ut det melius stare sub armis quam prius. Si forte pereat, requiescat anima in Idaliis lucis.

Salve, cella meis tandem fautura cupitis,
Qua Charis una suis comptibus esse studet
Ornatam. Mollem quænam me grata voluptas
Hic habet? Hic dominæ me meminisse volunt
Omnia; cuncta suos memorant quacunque lepores,
Cuncta monent dulces queis placitura faces:
Ista chelys toties voci responsa sonoræ,
Atque dein digitis personitura suis;
Languidulæque rosæ nuper fragrantis odoris,
Quæ tetigere sinus, quas pepulisse manus,
Oscula ut ingeminem, voluere; petalia, zonæ,
Tum decus hoc capitis crista corusca sui.
Hic crinalis acus rutilis ignita pyropis,
Vittaque flavescens, hic stephanoma comæ.

Digitized by Google

En strophium quod ei niveos velaverat orbes,
Vincula quæ tenero tracta fuere pede:
Interulamque recèns nostras quæ molliter omnes
Delicias texit : suavia crebra feram
Hic illîc, o Amor, cunctos haurire lepores
Credo mihi jamjam, tam citus ardor agit !
Ecce favens anaclinterium quo, surda pudori,
Procubuit nostris irrita nuper opis
Artubus; en levibus cubitalia mollia plumis
Quæ toties capiti fulcra fuere suo.
An foret hæc sedes Veneris Charitumve receptus?
Sic adducta suo vela colore diem
Quam bene nunc subigunt ut eo tueantur ocelli !
Molliter hic spirans quam fovet aura faces!
Cuncta movent animos, aer, mixtive vapores;
Cuncta vocant Cypridem pennigerumque Deum.
Huc ades o citius, peramata, quod adsto paratus
Obsequiosa tuo subdere colla jugo.
Jam sciathera mihi condictam nunciat horam,
Nec venis! Heu nostris ignibus ecquis obest ?
Áh! tardata nimis, propera, rursusque vocato
Siste mihi segnes nunc luitura moras.
Nil juvat amentem tantum torquere morando,
Et dare sic dubia spe, malesana, procum.
Hesperus ipse venit, connubia nostra fovebit:
Quæ dabitur nostris plenior hora jocis?
Huc ades, inque sinus blande prolabere nostros,
O desiderii cura laborque mei.

Digitized by Google

Quis subtus tacite gliscit novus ignis alitque
Dum necat? Ista mihi dulcis imago bonæ
Jamque voluptatis subeundæ subtrahit omnes
Vires. Heu nostris ausibus esto, Venus,
Et fac ut melius valeamus stare sub armis
Quam prius! Assultus victima forte boni
Si pereo, sumas animam, gremioque fovendo
Nunc mihi sic fusam, Diva, favore tuo
Idaliis condas lucis, sedique superstet
Tessera qua dominæ me periisse sciant.

Digitized by Google

PERVIGILIUM.

Venit in congressum Zoroas cum Pancharite: eam admonet ne diffidat amori, lacrymas sistat. Mollia solantis verba, fervida vota, fervidiora basia, voluptatis nascentis prodromus, plenæ indicia. Ignea Venus. Resolutio virium.

Advolo jamque tibi, sed amantior atque recessu
Fervidior longe quam prius ipse fui.
Totus et ecce tuis adsum nunc, Panchari, votis;
Sic etiam ardori tota reverte meo.
Tædia quæ tulerit votis absentia nescis,
O dilecta magis; sed mala cuncta satis
Jam mihi pensantur sub iis amplexibus, atque
Ambrosiis verbis, quotquot iere, tuis.
Tanta tuis facibus ferventis causa recrescis
Ignis, et assimili deinde flagrare queas!
O Cytherea, precor, minime sit cassa voluptas
Nostra, sed auspiciis vertat amœna tuis.
Quid lacrymæ, Venerilla? Reniteris! Unde timores
Quos misces nostris ignibus? Anne paves?
Si tantisper adhuc fasso diffidis amori,
Ah sine me citius pignus inire meum.

Digitized by Google

Non adversa veni, verum lenimen acerbis
Rebus, et egregium præcipuumque decus.
Cymbula qua navigare mihi datur usque Cythera,
Tu cursum facilem sumere, blanda, sinas:
Mollia regna peto nec adhuc accessa subanti;
Nunc omnis regio sit patefacta proco.
Oscula, more columbino, nos grata seramus
Alternis vicibus; sic data redde mihi:
Demus anhelantes ludentibus humida linguis,
Et veniat nobis dente vocata Venus.
O quam Panchæum redolent tua basia amomum!
Dum lego quæque mihi, nectaris instar eunt;
Vel gustare puto fragrantia munera mellis
Quæ rejectat apis vix saturata thymo
Halitus ipse tuus tenui sub rore liquescens
Intima pervadit, mox coquit omne jecur,
Et, turbando meos sensus, deliria ducit,
Dum monet ulterius bella gerenda mihi.
Te stringam quantum vitis lascivit in ulmo,
Quin tibimet nodo vel meliore liger!
Efflictim pereo; citius depone crocotam:
Nudatæ melius quippe litabo tibi.
En age tolle moras, Venerem nunc siste solutam:
Sic errant oculi per data castra mihi.
O artus nivei, roseis formosa corymbis
Pectora, crura, nates, ara sacrata Deo
Pennigero, nostri lustranda litamine amoris;
Omnia nunc labris basia lata meis

Digitized by Google

Carpite vos quot habent Circæa rosaria flores,
Vel quot volvit aquis aurea grana suis
Lydius amnis; eant lusus, resupinaque stando
Pensa voluptatis sint adhibenda novæ.
Varicitus subeas, melius Cytherea beabit.
Sta, morior : linguam prome, palumba, tuam.
Heu! ignita tulit fibris imisque medullis
Vim quæ me torret subter eundo magis.
Te subit huic similis, video, resolutaque cedis;
Tu revivisce meis ignibus atque tuis.
Non sentis voces dulcesque Cupidinis ictus?
Panchari, sicut eunt ignea tela refer.
Macte animo, prosisque meis ardentibus ausis.
Diva Paphi, jamjam fer mihi mitis opem.
O bona pars animæ, faveas cevendo meanti:
En elisa tuæ claustra pudoris eunt.
Siste tuos gemitus, miles nunc venit ad arcem,
Victoremque tuum me vocitare potes.
O mihi quam stillis abeat Venus ignea gratis!
Vix præsum tantis sufficioque bonis.
Nunc animam exhalare velim moriendo sub istis
Blanditiis lente deliciisque novis.
Dii, laudate polum laudateque nectaris haustus;
Præ dominæ illecebris nil erit inde decus.
Quid mihi gannis adhuc subdulce, nec icta repellis,
Quin potius stringis me meliore manu?
Me, mellita, tenes iterum certare paratum,
Dummodo jam cœptis pergat adesse Venus.

Digitized by Google

EPINICIUM.

Grates agit Zoroas Veneri quod ad fines duxerit ignes; grates habet Amori; invocat Musas. Qui joci, qui raptus, quæ morientia verba, queis mota fuit ipsamet Cynthia. Jurat semper esse sub dominæ servitio. Deos quibus illud curæ est in partem adsciscit.

Diva potens Cypri, numenque decusque juventæ,
Quam circumvolitant semper amœnus Amor
Et Jocus; o quantas promo de pectore grates
Quod mihi suppetiis ominibusque bonis
Ad fines toties optatas duxeris ignes,
Et tuleris cupido quam rogitabat opem!
Nunc sine prostratus stringam mysteria noctis
Qua prius usque diem fota calore meo
Pancharis elanguens nostro defecit amori,
Et qua molliculis artubus ipse quater
Pressus delicui moriens exinque resurgens,
Halitibus toties me recreando suis.
Audi quæ gratus modulor cantusque melosque,
Omine felici Diva colenda procis.
Et tu, mitis Amor, faveas versesque benigne;
Dum tibi servimus, da variare bonis

Digitized by Google

Auspiciis lusus, ducat nos blanda voluptas.
Nunc, dum Castalio carmine tento chelyn,
Adsitis, Phœbi comites modulique sorores,
Festivosque sonos ducite ovando meos.
Sponsa Erebi testis ferventis fida duelli,
Sæpe voluptatis testis et ipsa fuit.
At cupiens iterum nobis certamen adorsum,
Restitit amandans somnia vana procul.
Quot raptus qualesque jocos nox attulit illa,
Dum foret arsa meo pressa puella sinu!
Pectore quot tulimus morientia verba palato!
Quotque etiam longis sæpe remissa moris!
Cœlituum cœtus crepuisset alendo livorem,
Si mea novissent prospera fata Dii.
Cynthia sæpe suam Phœbum celerare quadrigam
Institit, impatiens jamque subire faces
Consimiles, Lathmoque sui languere venusti
Artubus in mediis Endymionis avens.
Ah quoties, sugendo mei nutrimen amoris,
Ipsi juravi fœdera pura facis,
Velleque, dum vivam, tentari semper iisdem
Ignibus! O subeat jamque sagitta reum
Ultrix vestra prius, perjuria mente recondens,
Quam violem latam, dive Cupido, fidem!
Phœbus, lucis honos, nigrans accedet ad orbem
Attonitum, et vernas nutriet ipsa gelu
Indurata rosas passim tellus, et Olympo
Ignotum sibimet vomer arabit iter,

Digitized by Google

Et freta visceribus ruptis incendia volvent,
Langueat ante meæ deficiatve facis
Quam splendor. Formosa Parens, pharetratâque Proles,
Cura tuæ matris, sollicitudo simul,
Vos servate foco flammas, similique tenore
Noster ut ardescat jamque sinatis amor.
Vos nequitis cultus tyronibus esse scelesti,
Nedum quod placuit cum subiere jugum.
Jupiter et Phœbus torvis me semper ocellis
Respiciant; patiar, dummodo thura cremem
Suavia jam vobis; dicam, Venus, annue nobis,
Atque chelys referet, dive Cupido, fave.

Digitized by Google

SEQUELA.

Notis Panchariti Veneris arcanis, quærit ab ea Zoroas quid acre secum afferant. Novum decus quod habet ab illis amica. Meditatio supplet illa unde prior lætitia. Demat fidem censoribus quibus exosa Venus, exosa voluptas. Favente Dea, nil nefandi in amore.

Jamque voluptatis toties exosa profanis
Blandimenta patent; Panchari, nota tibi
Sunt arcana bonæ Veneris mysteria tandem,
Thuricremis ut habet mysta litando focis.
Terrifici quid habent, quid acris patefacta relinquunt?
Nil nisi grata quies, prætereaque rei
Mens memor, ut vetitæ, nihilominus inde cupitæ.
Criminis ah nimium dulcis imago mei!
Quanta tuæ deinceps suberunt insignia formæ!
Lilia miscentur lactea jamque rosis
Malarum, nec abest oculis persæpe malignis
Languor iners, menti qui revocando meæ
Heu profugas veneres, alias aliasque reducit,
Unde voluptatis mox erit alter agon.
Nunc et inoffensæ mammæ sublimius actæ
Impingunt strophium quod prius ipsa suit

Digitized by Google

Sic tibimet præcauta parens, ne forte viderent
Delicias nostras, nostra trophæa, proci,
Quodque manus nostræ poterunt removere salaces,
Dummodo semper eas ignibus acta meis.
Nunc jucunda doli meditatio supplet amœne
Lætitiam primam : nunc levitate cares
Quæ prius exstiterat toties invisa magistro.
Mens tua, mollitie jamque subacta nova,
Se dat deliciis primis sperando recurrant.
Censores nostri, queis odiosus Amor,
Queis exosa Venus, nec erit tolerata voluptas,
Neve putate nefas quam dedit ante Deus
Tanquam præcipuum vitæ solamen acerbæ,
Et quam quisque sibi nutrit amando, facem.
Panchari, deme fidem dictis meliora sequendo;
Nam voces horum, quotquot iere, nuces.
Naturam culpant largam finesque sagaces;
Non ea dulcedo criminis esse potest.
O dilecta mihi, credas nihil esse nefandi
Lusibus in nostris, dum favet alma Venus.

Digitized by Google

POLYCHRONIUM.

Pancharis, experta quid valeant Amoris spicula, et datis foco thuribus, gratias agit numinibus quibus fovere faces cura est. Exsultantis animi voces. Avet iterum libare illorum aris. Hymnus Amori. Vota suprema.

O quos cura manet sponsas conjungere sponsis,
Gratia sit vobis, numina fausta procis!
Cypria Virgo, veni; delabere, dive Cupido.
Circumeant Charites, advolitentque Joci,
Matris Acidaliæ comites, dum persono sistro;
Nam meditor grates ingeminare meas.
Currite jam, digiti, chordasque movete sonoras:
Vos vocat alma Venus, vos agat almus Amor.
Nunc quod eunt lyrico nostri modulamine rhythmi,
Cantibus, Aonides, sistite jamque meis.
Si prius ipsa chelys movit, si cantus amanti
Fovit inassuetas molle fluendo faces,
Quæ me devinxere magis, vos præmia sunto
Jure quibus refero qui placuere modos.
Laus quoque dicetur nato sincera venusto
Qui dedit incœptos lætius ire jocos.
Blande Puer, taline tua experienda potestas
Armatura! Eheu post data thura foco

Digitized by Google

En ego nunc aveo rursus venerando litare,
Thusque cremare novum quo mea nota fides.
Vita patentis ubique globi, lux ignea cuique;
Aera, tellurem, tum truculenta replens
Ignibus alta tuis; homini primaria veræ
Causa voluptatis, dum valet ille suis
Viribus et genio; cujusque subactor et ultor,
Flamine cuncta regens imperioque tuo,
Victor et ante procis totius legis iniquæ
Quam stolide voluit ponere censor hebes;
Tu qui restauras animum, vitamque benigne
Ominibus faustis semper abire sinis;
O consolator fidus minitante ruina,
Entia quot spirant, orbis ubique bea,
Concilia, flammisque tuis urantur amentque,
Et coeant; coitu sit patefacta bono
Vis tua. Nunc ridens natura resurgit amœne,
Et sibi lætificat munere viva tuo.
Hinc illinc aer meliorem spirat odorem,
Festivisque avium cantibus æthra sonat,
Itque reditque modus; valles collesque vicissim
Murmure concordant ingeminare melos.
En passim subeunt animantia quæque per orbem
Percita jam flammis vel data nuper eis;
Seque trahendo citis amplexibus, omnia pandunt
Entia pennigero jure subesse Deo.
Dulcis Amor, roseæ fautorque decusque juventæ,
Terrigenæ semper, numina semper item

Digitized by Google

Te venerent, arisque tuis neu victima desit;
Festivis hymnis nomen ubique tuum
Tollatur, resonetque novis concentibus æther.
Infundas intus munera cuncta tuæ
Virtutis, ut eant nostri constantius ignes,
Absit et à nobis suspiciosa fides.
Ast ego parte mea grates de pectore condo,
Et cantus promo nunc memor ante tui
Muneris. O aris iterum fas thura cremare
Plurima, dive Puer, deinde litare tibi.
Excute quidquid erit nostro contrarium amori,
Pectus et uratur jam mihi quale prius.
Te duce, custodes noctu deludere possim,
Sæpius et juveni sola subesse meo;
Cumque manu tentabo viam suspensa timore,
Tu mihi tunc præsis, cedat ut omnis obex.

Digitized by Google

RECORDATIO.

Descriptio noctis. Apostrophe ad Somnum. Zoroas se adhuc memorem fatetur transactæ noctis cum Pancharite. Quam titubat virtus, natura sua jura poscente. Insistit lapsis deliciis, aliasque perstringit quæ plenæ voluptati succedunt.

Jam Nox, acta polo bigis, mortalibus umbras
Advehit; et sensim roscida vela trahens
Ex oriente nigro, dispergit ubique papaver;
Spectraque circumeunt horridiora notis.
Alta quies late tenebris animantia fusis
Jamque diurna fovet: nunc sibi somnus habet
Omnia per sylvas, cœlumque, fretumque, per urbes,
Dum natura sequens commeditatur opus.
Aura madens frondes motat stridente susurro;
Errandoque vocat strix odiosa marem,
Dum sibi radit iter liquidum Mineia proles,
Noctuaque explorat quæ sibi præda cadet.
Dulcis imago sophis nihili, miserisque levamen,
Somne, mali, larvis sæpe beate bonis;
Quæ fessos homines reparas oblivio rerum,
Et tu Thessalici fons et origo doli,

Digitized by Google

O Phantasma, veni Lethæa papavera quassans,
Instaurentque viam somnia læta tuam.
En age, nunc tempus properat quo nuper inanes
Ausa minas nostro Pancharis ipsa sinu
Delituit, timuitque canis latratibus ignes
Esse palam nostros : narrat et hocce mihi
Sympodium quoscunque dolos, et quomodo sumpta
Ultio tunc fuerit, quæ pereundo pudor
Verba tulit nostris etiam minítatus in ulnis.
O virtus, puræ virginitatis honos!
Ut pugnando labas, quando natura reposcit
Jura suî, et placitis imperiosa trahit!
Ceu levis ex oculo stellis oriente fugatis
Sole novo nubes, sic face pressus abis
Idalii Pueri, vacuas miscendo querelas.
Otia digna Jovís, queis mea labra fere
Lassa sub assiduis pugnis, sua rursus adibant,
Vim suctura novam, queis resolutus amor
Pensa resumebat, cupidosque magis vel agebat
Quo bene ducebat blanda libido manus:
Illecebrosa magis nixu luctamina grata,
Queis sensus coeunt, dum Venus ipsa, fugam
Jam meditata sibi, nihilominus hæret eundo:
Qui vos concomitant impetus atque pudor!
Expletis mentem, nec eam lassatis inertem:
Tánta valet virtus vos penes unde calor!
Ast ubi hiems coitu sedatur, et alma recúrrit
Sponte quies, etiam languor amicus adest :

Digitized by Google

Sicque voluptati redeunt nova præmia lapsæ,
Dum mens ipsa silet jam satiata bonis,
Et tardata moris pereunt hærendo labellis
Verbula, vixque valet qui fuit ante vigor.

Digitized by Google

DELIRIUM.

Zoroas queritur de fluxa volup'ate; sed mox gratissima se solatur spe futuræ. Quæ sit vera voluptas in hoc quo agimur vitæ curriculo. Amatoria verba. Ausus; deliquentis falsæ voculæ; vota resurgentis. Apostrophe ad fraxinum. Supplicatio ad procos qui postea sub eadem arbore Veneri litabunt.

Heu brevis ille fuit raptus, brevis illa voluptas
Quæ prius : alterna sic vice cuncta ruunt,
Panchari ! Sed quamvis possessio sæpe puellæ
Pluribus expleto nuper amore procis
Meta sit ardoris, videor tamen acrius ire
Te versus notis queis beor ipse tuis
Blanditiis; nec erit labens quam rursus inire
Possumus illecebris deliciisque novis,
Nostra voluptatum series, dum sistimus una.
Tradita languori lumina bina novo
Nunc aperi, revocentque tuos ad munera vitæ
Sensus, quotquot egent, suavia carpta labris.
Ille voluptatem noscit qui solus amata
Secure gaudet, ludit itemque toro
Submolli, vacuus curis, neglectus ab omni
Quæ vulget notas plebe procace faces.

Digitized by Google

Quanta proco secum delectamenta renixus
Pugnantis cauta virginis arte trahit!
Illecebræque suæ quanto lascivius inde
Tum cupidis oculis, tum trepidante manu
Explorantur itemque simul tanguntur amanter!
Sic lasciva manus tentat adire sinus
Avia claustra sui, sensim sensimque moratur,
Atque rosis nactis suavia figit amans;
Dumque leves digiti passim per amœna vagantes
Lilia, perveniunt Cypridis usque sacram
Aram, decertatque suo mage virgo pudori,
Oscula tunc libat sicque resedat eam,
Cunctaturque tamen, tardataque gratior exstat
Hinc Venus, et lente sic satiatur ei
Mens sua plena voluptatum quas sistere vellet.
O mellita, precor, mollia verba sinas
Hæc mihi quæ revocant lapsas è corpore vires,
Et vim dant ausis. Nunc tua vincla mihi
Brachia sint, iterum mixti pereamus utrinque,
Atque renascendo ferveat alter amor.
Deliciosa nimisque flagrans agitatio mentis!
Jamque Venus Cyprias miscuit alma genis
Sponte rosas niveis; elabitur atque dehiscit
Disrupta ligula castula utrinque tibi.
Neu pugnace manu celes, exoro, lepores,
Quin potius sensus nunc alimenta trahant
Undique; nec votis causas innecte morarum:
Carbasus ergo mihi vel levis omnis eat.

Digitized by Google

Neu pudor ora notet : Charites sculpsere decentes
Flexus quotquot habes, corporis unde nitor.
Sunt et ubique rosæ plenis quoque lilia palmis ;
Ah sine quotquot erunt carpere, nilque nega.
Conscius instat Amor, citius mihi genva labascunt,
Panchari, delicio sic subeunte fere
Usque medullarum latebras, dum pectora nostris
Pectoribus coeunt, ignis et inde meo
Subditur ac sensim penetrat subiturus ad ima :
Tantæ animo subsunt illecebrisque tuis
Virtutes! Ubinam rapiunt deliria mentem ?
O redeam, citius rursus ut ore tuo
Exhausti jucunda traham mihi pabula amoris !
Halitus ipse tuus nectareum quid habet
Quod revocando voluptati me dulcius urget.
O nunc quod tacitis ignibus acta subes,
Osculum adhuc aliis figam tibi suavius istud ;
Utque tuo corpus, mens mea mixta tuæ!
Sic vivam pereamque dehinc vivendo vicissim,
Et moriente uno suppleat alter amor!
Fraxine, pugnarum testis qui frondibus ignes
Fovisti, amborum nomine jamque tuo
Cortice commisso, crescas, crescenteque trunco
Olim venturis hæc monumenta palam
Ruricolis pandas, quot eunt, constantis amoris.
O verna, verna, semper opaca procis ;
Et procul hinc perjurus amans vel amica dolosa,
Queis non reciprocas cura fovere faces.

Digitized by Google

Cæsaries sit opi lascivis frondea Nymphis,
Quos junget Satyris irrequietus Amor.
Vos quoque quos inter corylos vocat alma Dione,
Ah! precor, ad ramos non adhibete manus
Audaces; servate comam quæ favit amori,
Si similem vobis mox cupiatis opem.

Digitized by Google

JURAMENTUM.

Jurat Zoroas per currum Veneris, per tela Cupidinis, per noctem abactam, Lunam, pessulum, lucernam, Corinnam, et denique Pancharitem ipsam, se semper fore sub ipsius servitio. Instat eam ut omne dubium ableget: se felicissimum fore si redametur. Novæ luctæ quibus probatur amor.

Alma Cypris, currum testor per inania tractum
Passeribus Paphiis, telaque missa tuo
Quot fuerant nato; testorque silentia noctis
Quæ tenebris fovit prælia nostra suis,
Cujus et umbra prius cessit quam parta voluptas;
Propitiamque meis ignibus atque suis
Phœben, quæ dubiam lucem dabat ire per hortum
Cum loca condicti mox aditurus eram:
Pessule, te pariter nimium qui sævus amori,
Dum stridore tuo concita mater erat:
Lectule, quin etiam quoniam meminisse juvabit,
Testabor temet, sæpe beate jocis:
Teque, lucerna, prius grato splendore refulgens,
Cultibus o toties testificata meis:

Digitized by Google

Teque, Corinna, meo toties intentior igni,
Indeque jam merito munere danda magis:
Denique te testor, potius mea numina dicam,
Panchari, servitio semper inesse tuo.
Ergo veni, melligo mihi suavissima, sicque
Te dubium linquat nexibus omne meis.
Scire veni quantas moveant mihi quique lepores
Flammas queis pereo, qualis et esse queat
Ipsa medela mali, mavis ni forte subesum
Sterni. Nunc felix si redamando juves!
Dulce quid arrides sensus quod surripit omnes?
Intus eundo tuum par jecur ignis edit?
Nos habeant iterum pugnæ luctisque calescant
Vividius crebris, furtaque celet Amor.
Nunc tu labra labris figas urentia nostris,
Et sibi subveniant inguina nostra recèns
Excita gliscenti jamjam penetralius œstro,
Sicque duos semper spiritus unus alat,
Donec ab assiduo conflictu denique rapta
Unica jam fugiens vita duobus eat.

Digitized by Google

PROPHYLACIA.

Admonet amicam Zoroas ne palam cum se ipso joculetur, quin potius cum frigore sint mixti ipsius ignes, et curet abscondere animi motus. Neu nictus, fraudes et nutus, amicitiam ullam prodant. Occidunt eum consilia; sed quærit ut eadem quæ prius redeat, dum solus ei assidebit.

Cara mihi, nec adhuc pretiosior usque reperta,
Tu mea prima fides, ultima tuque dein;
Unde tuæ mihimet toties joculantia mentis
Effluvia, et, lepidis semper aperta dolis,
Me carpis ludisve palam, dum curo latere?
Desine, si sapias, hos adhibere jocos.
Quin potius nobis mixtæ sint frigore flammæ,
Neve sequens discat nocte peracta dies.
Quam dabit hinc furtivus Amor nos sorte fruamur,
Dum mare velivolans cymbula nostra secat.
Exardescamus; verum curemus utrinque
Ut lateant nostræ clamve palamve faces.
Ah quoties neglectus amor fuit ante nefastus,
Et felix quanto proditur inde magis!
Hinc timeas matrem, timeas quoque cauta sororem,
Ne male modiolo condita flamma micet.

Digitized by Google

Sic nec amica nimis videare, jocosa dicaxve,
Nec mihi tingantur quæque rubore genæ.
Non quoque tum nictus, fraudes, nutusve loquaces,
Me coram sociis conficiendo premant.
Ah male me pereunt consilia, pœnitet illa.
Panchari, quot dederim ficta memento, precor.
Nam quoties sensim periit sic ignis opertus,
Ardentesque faces vidimus isse gelu!
Ficta memento, precor; redeas dein qualis abisti,
Dum nullus nostri testis amoris erit.
Sic tibi felices noctes sperare licebit,
Et melius cautos nos feret ipsa Venus.

Digitized by Google

IMPRECATIO.

Invehitur Zoroas contra Cupidinis detrectatores; Veneris iram timeant et tela Pueri. Impetat illos Amor aurata cuspide, amicam vero plumbea : sit janua clausa sub jove frigido. Omnia denique adversa ; ast aliter si secus agant.

Invide, quem torquent semper felicis amoris
Pignora, felle nigro cui mala lingua madens
Obstrepit et damnat quascumque Cupidinis artes,
Quem procul a Sacris rejicit almus Amor;
Qui bona nostra cupis rosus livore maligno,
Nec piget immerito semper obesse proco;
Jam Veneris timeas rabiem Puerique nociva
Tela, quibus læsus mox furit omnis amans
Sævius, et quorum cuspis perfusa veneno
Tunc latus invadens irritat inde magis.
Impetat aurata citius te, sæve, sagitta
Ipse Puer Paphius, qua tibi nulla quies;
Deque sua promat pharetra quod arundine plumbum
Intus habet telum, quo petat inde tuam;
Sicque puella tibi perstet contraria semper:
Quo magis ardebis, sit quoque casta magis;
Basia promittat semper, nec basia libet;
Fictaque si tulerit, tollat et alter amans.

Digitized by Google

Sit, jove sub gelido, fixo tibi janua dente:
Frigora sic vacuum noctis opaca premant;
Nec miserata preces surgat tunc fota cubili:
Denique semper ames non veniente roga.
Si tamen illa diem forsan condicat amori,
Somniferas auras jamque papaver ei
Exhalet, valvæque tibi tunc cardine duro
Stridant adversæ; clamor itemque fragor
Omnibus indicent properare, canesque profectum
Allatrent longe, nil apocyna juvent.
Denique, si forsan faveat tibi sidus amicum,
Sique bonis avibus duceris usque torum,
Ipsius occultet nimbus strophiumve lepores,
Et sit ei circum zona revincta magis.
Quod si forte latus fuerit tibi nuper agendi
Impatiens, jaceas carmine nullus ei.
Tunc noscs quid Amor, quantum feriendo severus,
Quam facile ipsius permeat hasta latus.
Sic tibi cuncta perinde cadant adversa cupitis!
Ast aliter, flammas si tegis ipse meas.

Digitized by Google

MIGRATIO.

Cum nequeat Zoroas ad libitum servire Amori, invitat Pancharitem ut secum discedat à domo. Laudat eo scopo insulam Seles. Amœnitas ibi semper regnantis temperiei. Poma producit sponte omnis arbos. Alimenta simplicia unde victus. Joci unde voluptas. Hic bene libandum Cupidini. Vota, ut fortuna ipsis faveat. Subridebit Venus, præibit Amor, dum Æolus coërcebit ventos et mollior aura feriet aquas.

O exosa mihi semperque molestior igni
Tellus qua nobis omnia danda metu!
Obstrepit huc illuc densissima turba procorum,
Nec patitur tacite pervigil ire faces.
Ah cito cessemus, vel eamus ad usque Canopum
Quo melius nobis vivere pace tua
Sit licitum, nostræque faci servire suatim,
Panchari; nam strepitum penniger odit Amor.
Incassum terimus soles sperando quietem,
Et fugit inde magis nos aliena quies.
Haud procul hunc ridens adjungitur insula Sele
Rupibus exsurgens, undique cincta vadis,

Digitized by Google

Quam paucæ tetigere rates, nunc absque colonis.
Illic perpetuo purior æthra tepet;
Dumque calet siccosque exurit Sirius agros,
Imbribus et Zephyris friget amœna suis.
Hic nova sponte datis passim natura renidet
Muneribus; vitreis undique rivus aquis
Floriferis agris serpens superaddit honorem,
Emensoque solo luxuriosus adit
Mox mare. Mollis humus nec eget rastris vel aratro
Ut ferat arbor onus flore cadente suum:
Hic ananas fragrans crescit gustanda palato
Suaviter; hic uvas vinea sponte gerit.
Malus et Hesperidum profert aurantia sponte
Poma viatori, nec vigil illa draco
Servat: demissi cedunt sub pondere rami,
Floribus et malis arbor onusta labat.
Stipite nodoso sudant opobalsama semper,
Qualia Panchæum non tulit ante solum.
Hic sata nos lactuca levis lampsanave pascet,
Lacque tepens pateras hydromelive linent.
Hic tecum nitidæ miscebo silentia vitæ,
Emensaque simul te recreante via,
Ipse tuo mulcebo sinu mihi dura senectæ
Frigora; nec deerit quæ variando jocos
Progenies dilecta fuget tunc tædia quæque.
Dein, veniente die, me trahat Orcus aquis
Lethæis, ibo securus judicis æqui
Jussa probaturus quæ dabit ille mihi.

Digitized by Google

Amplius heu quid aves? Nobis procul illa Cupido
Otia dat, facilem præbeat ipse viam.
Hic nobis requies partoque fruemur amore,
Linguaque non nostras carpet iniqua faces;
Nec nos attendent mater germanaque semper.
Illic, tota meis ignibus atque tuis,
Arsa beabis eum teneros qui junget amores;
Unaque sic pascet prospera vita duos.
Ipsa sed optatum citius fortuna secundet,
Condonetque meis ignibus alma Venus.
Vos valeatis, opes; comites, valeatis honores:
Omnia sufficiet Pancharis ipsa mihi.
Obsequiosa veni, cœlum sine nubibus adstat;
Nox obscura licet, tu comes ire potes.
Ante veni quam Aurora sinus induta rubentes
Verberet auricomos roscida Solis equos.
Jam sidus Veneris nobis manifestat horizon:
Nullus sub signo nos manet error eo.
Æolus ipse, favens profugis, jam carcere ventos
Clausit, et oceanum mollior aura ferit.
Neve tibi timeas quidquam, malesana, pericli,
Cum cava Tritonis buccina jamque vocat
Per freta Nereides, ludis et præcinit ipse,
Plana per undisonis marmora tractus equis.
O vos cœruleæ spumosa Doride natæ,
Turgida velivolæ solvite vela rati.
Si prius allabens vestras Amor iverit undas,
Parcite migratis quos movet alma fides.

Digitized by Google

Cara, veni; quid adhuc curis torqueris acerbis?
Fide, præit lucens en face nudus Amor.
Jussa dedi, venias nobis dum tempus eundi,
Jamque celes ripis officiosus adest.
Compositis adero pavidam mulsurus in ulnis,
Si forsan raucis æstuet æquor aquis.

Digitized by Google

PHARMACON.

Decumbens febre Zoroas Pancharitem advocat: addit omnia cassa esse adversus morbum auxilia. Eam dicit fontem unde scaturit morbus: succurrat ei. Consilia ad amatores. Iteratæ advocationes. Basium petit tanquam primum et præcipuum auxilium. Si eo juvetur, jurat se iterum spe ejusdem leniminis aleam morbi subiturum fore.

O nova Terpsichore, nostris edocta canendo
Tu modo principiis, cui quoque prima dedi
Hæc documenta quibus polles in amoris agone,
Huc ades et votis donec amabo fave.
Ah miserum! pereo, nec adhuc lenimen in hortis
Est mihi : sola malum tu cicurare potes.
Incassum, medici, vestras apponitis artes;
Hæret enim pungens intus arundo mihi.
Non circæa valet sylvis strictiva Cytæis,
Herbave Phasiacæ cocta lebete magæ.
Tu mihi causa mali, monitus exosa priores,
Indeque torquentes anxietatis eunt
Fons aciesque. Gravis primordia jamque pericli
Prospiciens, nequeo sponte perinde vices

Digitized by Google

Ferre meas, quod erit deinceps vertentibus illis
Non data, crede, salus, stetque ruina magis.
Haud ignara mali, tandem miseresce magistri,
Demeque jam causas, o bona, quotquot erunt.
Huc ades, et tabescenti meliora ministra,
Quæ mihi sola manent nunc et itura bono,
Pharmaca. Nonne mihi sapientior ipse fuissem,
Si, minus attentus dum documenta dabam,
Parcius incubuissem operi, nec amando flagrassem?
Heus tu! jam caveas quisquis amator eris;
Sorte mea doctus, caveas documenta puellis
Tradere formosis, ne domitatus eis
Servitio jaceas. Miserum me! quæro medelam
Stultus ab invita, sæva puella negat.
Huc ades, o ingrata; tuæ languore labantem
Nunc foveant auræ, cui cruor ipse coit
In venis, minitatque torum Libitina rogalem.
O ades, et saltem quod peto detur opis,
Basium amore calens lingua ludente salaci.
Halitus ipse tuus pharmacon illud erit
Rore suo subolente thymum casiamve rosamve,
Vel mel quale liquant vimine nuper apes.
Vera loquor, citiusque malis des hancce medelam:
Cras tibi thure meo, si redivivus ero,
Ara palam fumabit, Amor, tua spicula testor,
Juroque quod rursus mox subiturus ero
Hanc aleam morbi, cupiens par pharmacon isti.
O me felicem si Venus ipsa favet!

Digitized by Google

SOTERIA.

Invocatio ad Hygieiam. Zoroas eam deprecatur ut ei adveniat, nervos succutiat, ditet sanguinis latices suo fomite, eumque det salute. Ibit ad Paphios Gnidiosque saltus, ut roscida sectetur munera Floræ, unde queat jura parare suo morbo; sed ubinam medicamen inveniet quo queant leniri animi curæ, adhuc ignorat.

Pæonis o soboles, languentis spesque salusque,
Lucida nata poli, nunc age rumpe moras.
O Hygieia, procul nutu risuque malorum
Depellens causas, labere blanda mihi.
Sive per Hesperiam pennis librata jocosis
Quæris iter tutum, seu Cynosura magis
Rideat, Australisve polus, vel littus Eoum,
Munifica vitam fundis ubique manu.
Ut simul aerios tractus sibi læta potestas
Tentat, iniqua manus mox procul acta jocis
Morborum cedit quamvis radice reluctans,
Mergitur et Stygias lurida subter aquas.
Huc ades, heu miserata malum, nunc succute nervos;
Sanguinis et latices fomite rite tuo

Digitized by Google

Ditati subeant placide facileque canales;
Et malis redeat qui fuit ante decor.
O nunc perfugium, faveas donando salute
Quem nondum Parcæ solvere justa sinunt.
Nunc serto citius roranti tempora cinge
Febricosa mihi smilacis atque croci.
Dicunt te Paphiis Gnidiisve in saltibus esse,
Quo Charites stratæ gramine carmen habent,
Pulsando citharam Veneri, quo regnat amœna
Stultitia. Ire juvat, collis et ille placet
Quem Zephyri passim mulcent : sequar ergo fugacem
Dum spineta virent et madefacta ferunt
Auroræ lacrymas; sectabor munera Floræ,
Unde queam morbo jura parare meo.
Jam mihi, spe melioris iis vertente salutis,
Vires effœtum corpus ubique meant;
Invenique meis promptissima quæque periclis
Auxilia, unde fibris nunc nova vita venit.
Ast quo nanciscar curis medicamen amaris
Queis premor, heu nondum stat mihi certa fides.

Digitized by Google

PHANTASMA.

Fallunt auguria. Monitus naturæ experitur Zoroas. Sollicitudo in moriendo. Quid aget si redire datur. Non veniet horrenda facie, sed sub Zephyri larva. Sic latitans, quæ tamen munera exsequetur. Dolet quod non redeant mortui.

FALLIMUR auguriis, nec erit spes ulla salutis;
Me fugit exhaustum Pancharis, atque tuos
Experior monitus, natura, nec obsto molestis
Imperiis. Ergo mors inopina subest,
Nec fugitura; proculque Chai discedit abyssus,
Unde novæ vitæ nuper iere vices!
Proh Dii! sic moriendo malis ignotus abibo,
Nec memor illa meî porro puella foret!
Sedibus heu quid agunt Stygiis non usque relatum:
Attamen, ex illis si remeare datur,
Sique mihi licitum casus renovare puellæ
Threiciæ, notas mox remeabo vias;
Per Styga juro palam, remeabo periclaque sumam
Num sit apud caros mentio facta meî:
Ast non horrificus forma raucove fragore,
Sed tacite veniam, ne sibi forte fugam

Digitized by Google

Tentent quos vel habent terror novitasve regressus ;
Nam, licet excessus, blandulus esse volo
Panchariti ; plane quamvis neglectus ab illa.
Sæpius hinc Zephyri vel levioris ero
Sub larva, fusos humeris agitabo capillos,
Dum spirat subero, suavis odoris ero
Materies, animamque suam gremiumque fovebo ;
Sic et ei primus me bene junget amor.
Si rosa jam lateri meliorem spirat odorem,
Lychnus et accensus vividiore micat
Lumine, sique rubore novo pinguntur amœne
Sæpe genæ, nec adhuc exagitata meis
Artibus admittunt strophium sibi bina nivale
Ubera, vel motu suavia densa cient,
Murmur ei loti referunt si dulcius auræ,
Sique toro molli molliter illa cubat,
Hæc mea semper erunt ; risusque sit unica merces
Illis, cara, precor, quæ docueret Amor.
Quando te tacite noctu novus hospes adibo,
Et mea vox questus tunc gemebunda dabit,
Ipsa meæ chelyos credes audire canorem,
Qui te tentabat me feriente fides,
Intus et occultos excivit sæpius ignes,
Lumine jucundo cum micuere faces.
Quin etiam dulci somno mendacia jungam,
Larvaque deliræ nuda ciebo novas
Artes queis, invita, magis lasciva resurges.
O ætate nova tumque lepore Venus,

Digitized by Google

Cuncta dabis molles aditus dulcesque recessus,
Et quot hiant nitido lilia verna sinu.
Pectoris o colles, residet queis nostra cupido,
Vos eritis nostræ sic ditionis adhuc.
Me miserum! nec enim rursus rediere migrati
Qui verum doceant, tanta caligo premit.

Digitized by Google

PROPHETIA.

Nil habet Pancharis quo vitet Zoroam. Plus suis pupillis semper eum amat. Sistat ergo gemitus, et meliora foveat indicia; fortis adsit, pellat metum, et se servet ipsi fideique illum admonet.

Ecquid ego fugerem, malesane, revincta catenis
Tot tibi queis nuper sollicitata fui,
Ipsa faces casusque dolens oblita deessem?
Ah procul hinc crimen suspiciove nefas!
Inveniar Partha mendacior, imo Sabæa,
Ni te plus oculis semper amabo meis.
Ergo minas gemitusque tuos nunc, quæso, coërce,
O Zoroa, et sapias sic meliora fovens.
Deme supercilio nubes, animosus adesto;
Atque levet curas spes iteranda boni.
Virtutem doctrina dedit, natura revelat
Queis resecare potes quæ graviora forent.
Ah si vis animæ nostræ rescinderet illa
Asperior partem, quid moror ergo dein
Altera? crede mihi, ducet sic ille ruinam,
Juro, dies æquam; carpere prompta viam,
Ibo comes, præeas. Nunquam sic ipse Chimæræ
Spiritus, aut Furiæ, centimanusve Gyges,

Digitized by Google

Divellent: placitum Parcis Themidique potenti;
Seu me Libra videt, terrificusve Leo.
Sydus enim nostrum miro consentit utrumque
Vinclo; neu vexes exanimesque tuo
Me miseram questu; quod erit quapropter amicum
Nec mihi nec Divis te prius ire Stygi.
Nunc tua res agitur, ventura pericula pelle:
Pelle, nec a proprio te ferat aura scopo
Læva procul. Temet serva magis ignibus olim,
Et fidei nostræ credulus esto dehinc.
Me juvet ipse Deus Fidius, non exitus illi
Asper erit febri, dummodo sensa regas.
Est Deus, haud dubita, morbis qui præstat amantum
Commiseratus opem, quem rogitare decet.
Non opus hic lacrymis, melius prece vota fovere,
Ante minax morbi quam male vertat hiems.

Digitized by Google

VOTUM.

Supplicatio ad Æsculapium ut in auxilium adveniat Zoroæ; claudat febri viam, et eum levet à morbo. Ni faciat, mox se morituram esse adjungit Pancharis. Si juvat, restituet duos. Promittita oblata.

Phœbigena, o toties insignis in arte medendi,
Quemque Epidaurini percoluere prius,
Ioniive ferunt pendentibus usque tabellis,
Thureque sollicitat tum prece quisque dolet:
Anxia vota tibi facio quæ plena facessant.
Heu cubat immeritis ictibus ipse procus!
Ipse procus toties nostrorum fautor amorum,
Qui vivendo beat, qui moriendo necat.
Jam satis est, oro, gravium mihi, Dive, minarum,
Jam satis; et febri claude perinde vias.
Dexter ades, languensque leva sine nomine corpus;
Ni facies, rapiet mox Libitina rogo.
Hei mihi! quid fortuna minax servaverit illud
Exitium, et nobis parceret atra dies?
Annue nunc votis faciem vertendo benignam,
Auspiciisque tuis denique morbus eat.

Digitized by Google

Ah miseresce meî, necnon miseresce jacentis,
Si Paphias unquam noveris ipse faces.
En ego conficior crudeliter intus amantis
Casibus his, metuens ne male forte ruant.
Festina citius, necnon quæcumque timenda
Mitte mali celeri mox rapienda Noto.
O te siste preci, faveas, Ereboque rapaci
Eripe nunc juvenem quem mihi duxit Amor;
Et tuus haud tolletur honos paulisper in uno
Corpore sic reduci restituisse duos.
Rumpe moras: testor Venerem, si solvitur illo
Quem patitur morbo nunc miserandus amans,
Thure meo fumabo prius, dein floribus aram
Ornabo citius, victima tumque cadet
Ictu capra pio, ficto de nomine, cauta
Ne noscant motus qui peperere preces.

Digitized by Google

COLLUDIUM.

Zoroas sospes à morbo adstat Panchariti. Expansæ voces de amœnitate recessus ubi colloquium init cum amica. Omnia ei revocant fugitivos amores. Admonet eam ut non sinat mentem torpere inerti requie; exemploque sumpto à palumbum ignibus, instat ne vincantur ab illis in amore. Apostrophe ad cespitem.

Gratia sit Superis Phœboque perinde salutis
Auctori, versus quos abiere preces.
Nunc sospes votis adsum, mea Panchari, tandem,
Semper hians, semper ductus amore tuî.
Num foret halantis Floræ geniale viretum
Qui mihi sic ridet lætius iste locus?
Salve, fauste Geni sedis, nec inique colenti:
Vos quoque capripedes, oro, favete, Dii.
O quam me statio delectat! Sic et ab omni
Securus turba, jam tibi solus ero.
Ad dominam jaceo: quænam laquearia possent
Jasmini his trichilis ante valere suas
Umbras sic niveo cupidi sociare ligustro?
Hæc et Acidaliis suavia serta rosis,

Digitized by Google

Quam me molle trahunt rutilas nectendo corollas,
Unde sit arboribus quilibet alter honos!
Quam quoque subrident umbracula vitis adultæ,
Sic arcellatæ, nunc botryone gravis!
Rivulus ille fluens passim per gramina prati
Tramite detorto, garrula saxa trahens,
Qui procul in stagnum fusis expanditur undis,
Quo niveos artus sæpe lavare soles,
Cum sociis ludente choro fraudesque movente,
Moxque resumendo qua cecidere prius,
In mare ducit aquas fessas errore viarum:
Vallis et ista virens, tumque paludis amans
Populus ipsa, comas auris dans quasque Favonî;
Et lacrymosa salix quæ sibi lambit aquas
Dextrorsum, ranis squillisque placentia præbens
Frigora: floriduli cespitis ille torus,
Mollis, ubique virens viola, distinctus amellis,
Cuique periclymenon dat redolendo decus:
Halitus ille mihi Zephyri tua verba ferentis,
Molle tepens, vernæ suavis odore rosæ:
Huc illuc volitans alis librata jocosis
Papilio sequitur pressius ipsa marem;
Et queiscumque sedet dulces haustura liquores
Floribus, ille moras nectit et ore trahit.
En procul aeria delibat turtur ab ulmo
Oscula spissa mari: duplicat ille vices;
Deinde suos ambo promunt concentibus ignes
Versicolora simul colla vibrando retro.

Digitized by Google

Capreolus tenera ludit lascivus in herba,
Prælia jam tentans quæque libido docet.
En flores etiam pereunt, junguntur amore
Tum procus aut virgo; seu domus una duos,
Vel variæ capiant discretis sedibus illos,
Indociles et eos ad juga raptat Hymen.
Aureas inter apes ludit trepidantibus alis
Ichneumon, carmen dum geniale canit
Sub suavi Philomela citro: lascivus in hortis
Fit jocus huc illuc lene tepente Noto.
Undique fecundat subridens rura voluptas;
Rura Venus sibimet quæque jocosa trahit.
Ecquid, dum natura monet nos esse regendos
Lege sua, nobis irrita jussa forent?
Cras amet, ah potius nunquam! qui segnis amaret;
Sed qui nuper amat, nunc amet inde magis.
Hic me cuncta movent passim revocantque remissos
Ignes; hic iterum cuncta litare jubent
Idalio Puero; dulces nos ergo sequamur,
Quas natura probat luxuriando, faces.
Non mentes nostras torpere sinamus inerti
Nunc requie, placeant quin mage, cara, doli.
Sic procul esse juvet nobis à plebe maligna,
Hic dum miscemus prælia nota prius.
Ergo tibi placeant quot erunt mea furta strophæque;
Et Venerem revocent suavia carpta labris,
Jam quot Erythræa conchæ volvuntur in acta,
Vel quot in Ausonio flavet arista solo,

Digitized by Google

Dum venit exspectata Ceres; redeatque voluptas
Ut prius, et linguæ bella lubenter agant.
Neu nos jam Cyprii superent in amore palumbi.
O mihi quæ tecum sic recubando novæ
Deliciæ recreant, quando damus oscula pressim,
Amplexuque uno spiritus unus alit,
Gannitu nosmet vocitamus et ultima famur
Verbula! Tunc gemitu sæpe tenente vices
Vocis, in uberibus commisceo quosque colores,
Decerpendo mihi lilia tumque rosas.
Sed dum bella movent linguæ luduntque vicissim,
Furtaque vafra manus insidianter agit,
Mens mea felicis sortis satiata facessit,
Quam citius revocans halitus ipse tuus,
Illa redit, refugit, sublabitur atque resurgit;
Mox tua pertentans lumina versa mihi,
Hæc agit, et migrando tuis sedet anxia labris,
Donec eant ignes denique fine sua.
Ah! mea diva, novos citius tentemus agones,
Intimiusque beet nos refovendo Venus!
Tu mihi pars vitæ semper finisque laborum,
Et, licet una nites, gratia trina nites.
Quæ rapit audacem furti me viva voluptas?
Nunc qui sint ignes experitura veni.
En tibi pars animi, capias; en altera, plaude:
Tertia mox et erit, si Cytherea favet.
Cespes amice, mei tentaminis alma palæstra!
Pro jamjam meritis gratia semper eat.

Digitized by Google

Hinc nova perpetuo vernet tibi graminis herba.
Cresce voluptati; mitiget aura levis
Ardores nimii solis, faveas sic rursus amori:
Lotos et iste tibi luxuriante coma
Stillet quas fundit lacrymas Aurora recurrens.
Sub domina nuta molliter, atque dein
Surge, voluptatum vestigia quominus essent
Nostrarum pressa paulula nuper humo.

Digitized by Google

VIGILIÆ.

Hymnus quo Zoroas præludit festo Pancharitis. Veneris ortus tum primi in universum orbem ipsius iufluxus describuntur. Puer semper ejus comes. Ne Nymphæ timeant nudatum Puerum quippe mater jussit eum ire sine armis. Cur Venus manumiserit virgines Dianæ. Apostrophe ad Bacchum, Cererem et Apollinem. Rura primo probavere Deæ jura; rure natus est Cupido; accepere illum Charites, melle aluerunt; rura mox Pueri tela novere: cum omnia resonent Amoris laudibus, ne quidquam decedat Camœnæ, non etiam silebit Zoroas.

Cras amet omnis inops animi qui nescit Amorem;
Quique prius novit, rursus amando flagret.

Ver tepidis geniale renascitur imbribus orbi;
Vere leves Pueri desipiendo trahunt,
Vereque nubit avis passim per amœna vireta;
Vere casas virides implicat alma Venus
Inter obumbrantes lucos è divite myrto,
Lætius unde procis jussa sequenda ferat.
Vere cruore satam supero dedit inter amicas
Nereides Cyprin littus adire Paphi

Digitized by Google

Oceanus. Pingit gemmatis floribus annum
E pelagi spumis hæc Dea nata recèns,
Et Zephyri tumidas aura generante papillas
Mulget odora toro. Quas modo roris aquas
Nox dedit, inspergit foliis, et præcipit omnes
Virgineas nubant læta per arva rosas.

Cras amet omnis inops animi qui nescit Amorem;
Quique prius novit, rursus amando flagret.

Diva jubet Nymphis saltus penetrare silentes;
It Puer ipse comes telaque eundo gerit.
En agite, o Nymphæ, minitantia projicit arma;
Ite, nec à vacui sic trepidate minis:
Jussit enim natum procedere mater inermem,
Ireque nudatum, ne feriendo necet.
Nudus Amor forma tepidas trahit; ergo cavete,
Nymphæ: formoso corpore lædit Amor.
Delia, jure tuas misit Cytherea puellas,
Attamen ipsa preci lenis adesto meæ.
Sit nemus omne dehinc expers à strage ferina,
Montivagasque feras nil recubando tremant.
Venit amica dies, ludis aptissima nostris:
Non cruor officiat contaminando manus.

Cras amet omnis inops animi qui nescit Amorem;
Quique prius novit, rursus amando flagret.

Delia, Diva tuas misit, ne forte puderet
Ludorum quot erunt mox sub Amore sati.

Digitized by Google

Jam tribus ire choros statuit per opaca viarum
Noctibus ; et serto versicolore caput
Impatienter eos victos properare videres
Per sylvas, per agros, per sata, perque casas.
Thyrsiger, alma Ceres, et Apollo carminis auctor,
Quod recinemus, iis vos et adeste modis.
Nox eat auspiciis vestris festiva canore,
Et procul hinc nobis quæque nocere queunt.
Diva Venus passim conspergere flore recenti
Jussit humum, præsens cras sua jura dabit.
Quot vernant Epheso, quot habebit Ionia in hortis,
Spargite, vos juvenes : sic jubet alma dies.

Cras amet omnis inops animi qui nescit Amorem ;
Quique prius novit, rursus amando flagret.

Ruris erunt Nymphæ, nemoris, tum fontium amicæ :
Omnes esse jocis mater Amoris avet.
Sed monet ingenuam nudo ne credat Amori,
Quippe Puer nudus sævius ipse ferit.
Nec deerunt Charites rosea cervice nitentes,
Queis prius Aligeri dedita cura fuit.
Vimine contorto ducentur floribus umbræ ;
Æther odoratæ germina prolis habens
Nubibus advectum pluviis per rura redire
Ver sinit ; irrepsit conjugis imber aquis
Fertilis in gremium tepidis, et ubique recenti
Jam fœtu gaudet luxuriatque suo

Digitized by Google

Terra; sinus laxando suos, hæc præmia spondet
Agricolæ, unde Pales mox habitura decus.

Cras amet omnis inops animi qui nescit Amorem;
Quique prius novit, rursus amando flagret.

Diva suis auris venas mentemque gubernat,
Intus et occultis viribus illa creat.
Per freta, per terras, per inane refunditur omnis
Vis sua: sic generans crescit eundo tenor;
Imbuiturque nova virtute feracior orbis,
Ortus dum pandit quot latuere vias.
Rura probant Venerem; fecundat rura voluptas:
Natus et ipse prius rure Cupido fuit;
Rure sinu Charites natum accepere fovendum;
Mollibus instratum mox habuere rosis,
Nectare et ambrosia leverunt ipsius ora,
Mellaque Mopsopiis pressa dedere favis:
Rura dein Pueri missas novere sagittas,
Erubuitque novis virgo pudica dolis.

Cras amet omnis inops animi qui nescit Amorem;
Quique prius novit, rursus amando flagret.

En latus in mediis devolvit molle genistis
Taurus; ovis gestit mollis eundo proco.
Sic animale genus voluit Dea fœdera jungant,
Nec sinit à modulis ut requiescat avis.

Digitized by Google

Gaudia raucisono cycni dant ore loquaces;
Ilicis ad umbram mœsta puella feri
Tereos involitat, vulgando quot illa refovit
Damna prius; credis, sed tua vana fides.
Illa facem cantat, cantatque Cupidinis arma.
Ipseque nec taceam me stimulante Deo:
Sin minus hinc nostræ decederet aura Camœnæ,
Quæ prius, ut dominam molle canendo meam
Illicerem, menti modulos induxit amicos.
Avertant omen numina fausta procis!

Cras amet omnis inops animi qui nescit Amorem;
Quique prius novit, rursus amando flagret.

GENETHLIACON.

Pancharitis natales. Gratulatio ad redeuntem Diem. Advocantur Joci, Risus, Charites, Castalides, Nymphæ, Dryades et Napææ, ut partes suas gerant. Qui flores legendi sunt, ut corollas et serta formentur. Dona feruntur ad aram. Descriptio comitatus, vota pro Pancharite; ore favent ei omnes. Reditus domum; epulæ, halant onyces et mulcent aer rosæ et flamina buxi. Modulatur Heron Panchariti; fert vicem Leodora; plaudunt comites et convivæ. Ducuntur choreæ, cantus. Supplicatio ad diem ut dehinc redeat sic lætus quotannis. Nox semi acta revocat ad Lares unumquemque. Votum Zoroæ.

Annua jamque Dies rapidis invecta quadrigis
Exoritur, votis obsequiosa meis,
Qua meritæ grates Divis solventur amœno
Pectore, quod fauste Pancharis orta fuit,
Auspiciisque bonis bis nonos compleat annos,
Corpore præpollens ingenioque magis.
Salve, cressa Dies, Musis gratissima nostris,
O fluxura modis, carmine digna meo!

Digitized by Google

Ex oriente leves præeunt tibi lætius Horæ;
Tithonisque redux ridet amica magis.
En tibi splendidius tellus vestitur honore,
Certatimque melos quisque salutat avis.
Exoptata Dies nobis, quot itura jocosis
Oblectamentis, quot bona jamque vehis!
Nunc maturate, Joci, Risus, Charitesque sequaces;
Nam vos Euterpe Terpsichoreque vocant.
Castalides, Nymphæ, Dryades, udæque Napææ,
Linquite secessus: parthenis una sibi
En vocat o qualem primo sub limine vitæ
Nunquam vidistis, tantus in ore lepor!
Ista Dies ortus ipsius: o ite quot estis;
Donaque jam sylvis quæ legeritis ei
Florida ferte cito: Veneris gratissima myrtus
Neu calathis desit, neu rosa mixta croco;
Nectantur philyra cyani, nectantur amelli:
Sic totidem festi sint decus omne sui.
Ferte mihi textam vario de flore coronam,
Discipulæ desit ne stephanoma comæ.
Sertula nectamus propere figenda columnis
Liminis ex hedera cui sua bacca rubet.
Carpite, vos, quot erunt flores melioris odoris,
Ut mea dein humeris virgo sinuque gerat.
Macte animo, redolensque thymum jungatur amomi;
Flos etenim fragrat suavius ille thymo.
Ite, boves, redeunte Die, vos ite soluti
Vomere; nunc cessans omnis omittat opus

Digitized by Google

Villicus. Heus famuli, famulæ, vos o quot adestis,
Sumite quæque dedit munera Flora die
Hesterno, et deferte queis est cura sacelli;
Neve merum desit quod strepat igne datum,
Thura vel altari pingues facientia flammas.
Neu mora, quisque suum nunc sibi tractet opus.
Jamque preces versat geniali voce sacerdos;
Ipse tepens redolet thuris odore focus.
Vos quæ primitias gestatis, o ite, puellæ,
Et vos qui Sacris vimine fertis ador.
Vosque coronati pueri, succedite, vosque,
Succinctæ sociæ: nunc pia Sacra vocant.
Tuque, columba, veni Syrio bombyce refulgens,
Et cultu simili quo prius ipsa tuum
Traxisti Zoroam Cereri dum liba vovebas;
Fulta Cupidinibus, concomitata Jocis;
Crispantesque tui spirent unguenta capilli,
Et tua bracteolis undique Coa micet.
Vosque puellarum glomuli, properate canistris,
Pergentique viam spargite quæque rosas.
Sternat humum cytiso pubes ovando bryoque.
Ante chorum tubicen thymelicique sonent.
Prætereunte illa, non omnia possumus omnes,
Vos umbram palmis, frigora ferte, viri,
Flabellis: meruit fieri sibi Pancharis illa;
Officio merces risus amœnus erit.
Nec mea lætitiæ deerit quam nuper Athenis
Myrtilus ipse dedit, tibia curva, suam

Digitized by Google

Quæ vocem Phrygio docuit componere rhythmo
Dum dabat ire modos ingeniosus Amor.
En mea jam supplex vobis, o numina cœli,
Pancharis : acceptas vos et habete preces;
Quasque graves arcete minas; nunc ire sinatis
Ipsius tuto per freta quæque ratem.
Qualis et umbroso surgens amaranthus in horto
Vernat securus, molle fovente Noto;
Sic ea percurrat nitidissima tempora vitæ.
Corporis utque novis itque reditque dies
Dotibus, hujus item veniant nova munera menti.
O vos, quæque cadent vertite fata bono :
Crescat virgo toro crescit cui plurima myrtus,
Atque voluptati crescat eundo novæ.
Tu quoque, blanda Venus, facilem te siste puellæ;
Cumque, suo Paphii pectore jura colens
Imperii, verset ritusque tuosque favores,
Idcirco venient ad tua fana preces.
Dii quorum fulgent nati sub nomine amores,
Sæpe colenda Venus, sæpe colende Puer!
Efficite ut jamjam vertant sua pabula flammis,
Sicque puella procum semper amando beet;
Illeque percupiens solemnia solvere vota,
Constituat thalamo dona dicanda suo.
Ore favete, cives, et, cincti tempora myrto,
Vos miscete simul cantica vestra sonis.
Nunc agite, o juvenes, modulosque iterate canoros,
Faustaque precati vos remeate domum,

Digitized by Google

Fercula quo fervent calicesque, accumbite mensis;
Et fugiant longe jurgia, probra, minæ.
En natalis adest Pancharitis: omnia spument
Pocula plena mero, ferteque nomen ei.
Vina diem celebrent, nec eis maduisse pudescat
Vos hodie, et tremulo jam titubasse solo.
Bacche, veni, redimite comam nutante corymbo;
Nubila sydereo discute, quotquot erunt,
Aspectu nobis, et eant procul arma, minæve:
Huc adverte decus virgineumque caput.
Felices queis ridet Amor nec acerbius urget,
Et quorum votis nunc iterumque favet.
Alme, veni dapibus nostris; sed mitte sagittas,
Quæ, feriendo truces, bella movere queunt.
Heus pueri, fragrent myrrha, nardo vel acerræ;
Thuris et effluviis halet odorus onyx.
Jam fas deproperare leves vivace corollas
Myrto; nunc mensæ me cupit alma Venus
Arbitrum; eique placet cuncti gratentur amicæ,
Desipiantque simul corda soluta cado.
Spargite jamque rosas molles, et flamina buxi
Lene sonent, cantu quippe sequetur Heron.
« Panchari, quæ virgo dicet majoribus esse
Dotibus instructam queis sibi constat honos?
Juncea præcellis socias quascumque decore:
Te flos Ioniæ pubis amœnus ait
Omnibus exstantem, Charites cui jure dedere
Halantem cestum quem Cytherea tulit.

Digitized by Google

O præclara procis, nimium formosa puellis,
Floridiora recèns serta legemus agris
Cras tiliæ figenda velut monumenta tuarum
Virtutum, ut notus sit mage noster amor;
Sculpemusque notas quarum sit summa diei
Hujus, et hinc discant rursus agenda noti.»
Spargite jamque nuces mensis, et flamina buxi
Lene sonent: etenim fert Leodora vicem,
Quam decorat violas molles imitata veneno
Lana Tarentino, tum data crista comæ.

«Ludite, vos virides annis sociæque virique;
Ludite, et iste dies cuilibet almus eat.
Ver favet, omnis ager ridet, cœlumque serena
Luce nitet; quisquis gaudia promit avis.
Ergo agite, et, resonante lyra, nectamus amœnis
Mollia verba modis, dandoque cuncta jocis
Tempora, dicamus versu alternante sonoro:
Quosque dies nostros nunc sibi vertat Amor.

Quæ fluit unda loquax passim fugiente lapillo,
Aura tepens Zephyri populeæque comæ
Murmura, sub platano cantus fringilla ciendo,
Turtur ab annoso robore sæpe gemens,
Acer equus tremulis ignes hinnitibus efflans,
Assiduo strepitu rauca cicada suo,
Quæque sonant late modulo alternante canoro:
Quosque dies nostros nunc sibi vertat Amor.

Digitized by Google

Cuncta vorat tempus, fugiendoque quasque juventæ
Abripit illecebras deliciasque simul.
Heu nobis nunquam venient hi rursus honores
Veris, ut huic orbi semper eundo manent.
Talibus hisce damur fatis; sic labilis ætas,
Quæ melius volvet dum voluere vices,
Dando jocis spatium et versu alternante canendo:
Quosque dies nostros nunc sibi vertat Amor.

Plaudite queis placuere modi, sociæque virique:
Nam tulit ipsa suam jam Leodora vicem.
Vesper adest: juvenes, consurgite; Vesper eundo
Vos vocat ad lusus lætitiasque novas:
Surgere jam tempus mensasque relinquere pingues,
Et dare furtivis oscula multa labris.
Ite pares animis, cum castis ludite caste;
O juvenes, licitus sic jocus omnis erit.
En vos, lecta manus, sibimet vocat ipse choragus;
Dumque choraula suis flectet ovando sonis
Carmina quæ dicam, molles agitate choreas,
Et pede concordi vos resilite solo.
Ad numerum resilite solo, vigilisque lucerna
Ardeat usque diem; mox vice quisque canat.
O ego quo rapior vario modulamine vocum,
Ingeminat cantus dum numerosa meos,
Turba? novæ meliora puto spiramina vitæ
Ducere; cedentem tanta libido trahit!

Digitized by Google

Callidus ille quidem primus qui dixerat ante
Ad cantus modulos mollius ire pedes.
Sic lascivus Amor flammas et spicula miscet,
Ludit et occultis artibus alma Venus.
Fausta dies, utinam redeas ita læta quotannis,
Et risus adsint quos peperere joci!
Sed Nox atra, polum bigis invecta meando,
Nunciat esse satis dimidiata joci.
Vos proprios remeate lares queis lassa quietem,
O juvenes, possint ducere membra sibi.
Heu mihi! cur thalamum, miserum, vetor ire cupitum?
Jam meliore darem fine peracta die.

Digitized by Google

PARALIPOMENA.

Zoroas laudat et miratur studiosæ discipulæ ardorem in acquirenda qua valet doctrina. Philosophica principia de materiæ transitu ut nova corpora efformet. Quid sit vita, et unde eam trahant animantia. Generationis scopus et necessitas. Seminis scaturigo. Ova feminæ. Coitionis phænomena. Mira naturæ sagacis argumenta in propaganda animantium vita. Exhortatio ad Pancharitem ut iterum atque iterum Veneriis vacet officiis. Vota de mox habenda prole.

Quam laudo mirorque sitim quæ ducit ad omnes
Te disciplinas unde sit omne decus!
Panchari, jure mihi splendes cum verba requiris
Quæ possunt mentem capta fovere tuam.
Si cupidos Veneris cultus nos sæpe beavit,
Inquis, nectendæ sunt et utrinque moræ,
Nuncque meæ tandem doctrinæ serviat ille.
Perbene, pars animæ, quæ cupis ergo fluant.
Dum procul ad patulæ quercus consedimus umbram,
Et sophicis rebus nos adhibere putant
Colloquium, liceat varias perstringere scenas,
Unde fuit nobis notior ante Venus;

Digitized by Google

Sed sophice volvamus eas; sic pascet amantes
Tunc doctrina magis : Panchari, dicta tene.
Nil perit ante satum quod erat sibi legibus orbis
Tracturum vitæ semina quæque suæ.
Mors nihil ad sensum docti, nisi transitus unde
Jam nascens sumit quod morientis erat.
Si videas ubicumque suis nunc viribus omnem
Naturam calido germina ferre sinu,
Hæc totidem debentur iis quæ munere vitæ
Functa fuere prius, corpora versa luto;
Et veniente calore lutum mox ductile transit
In varias formas quæ vegetantis erunt
Indicium virtutis adhuc in limine vitæ.
Hinc sibi decerpunt quidquid honoris erit
Flora, Ceres, Bromius, Pomona, vel ipse Priapus.
Sic plantas gignit, firmat et intus alit
Pingue lutum, et plantis mansis animantia alúntur,
Firmanturque datis queis animata fuit
Viribus ipsa prius compago, quibusque perennat,
Usque sit incœptæ jam sua meta viæ.
Sic surgunt, vivunt, augentur et entia quæque,
Dante simul partes quolibet inde suas,
Percursoque datæ quondam sibi tempore vitæ,
Nutant in gelido quo reditura solo.
Motibus at propriis vastus ne corruat orbis,
Conditor ipsius cuilibet ante dato
Vita, queis veniente die coeundo propaget,
Semina jam dederat consona quæque scopo.

Digitized by Google

Unde sua trahitur plerumque cupidine quisque,
Expleat ut finem qua semel orta manent
Corpora, vivendoque vigent alterius ortu.
Huc coitum referes qui juvat illud opus :
Hinc ardescit amans et amanti pignora solvit,
Queis vivunt ambo dum sua pensa luunt.
Vir mulierque quibus fuerit jam nota voluptas,
Ut generent, debent, sic sociando simul,
Stringere se pressim plexisque amplexibus esse.
In mare jam viridi cui vigor intus inest,
Testiculis humor latitat quem semen abusque
Dixerunt medici, cujus origo latet
Sanguinis in fluvio passim, ferturque deinde
Per tubulum penis. Sic vocitare solent
Qua tibi sum dispar, carissima, ab inguine partem,
Causa voluptatis quæ fuit ipsa prius.
Humor et alterno jactu detruditur ille
Sub spumæ specie, quam voluere prius
Particulam prisci meliorem corporis omnis,
Nempe rati mentis viribus esse datam.
Nunc penem rigidum recipit sibi carneus alveus,
Qui mox de rictu virginis ima petit
Matricis : sub eo noverunt nomine viscus
Illud quo remanet mox genitale viri
Semen, et à matris jamjam gliscente calore
Dein fruitur vita qui modo nullus erat.
Hæc ratus Hippocrates retulit sic germina cuique:
Hinc sibi munus agit femina virque suum.

Digitized by Google

Nuper Aristoteles contraria dogmata sparsit,
Fecundanda putans ducere sicut aves,
Ovula femineum sexum sibi ventre sub imo,
Quæ sensim vita progrediente forent
Excludenda, semel scintilla afflata fugaci;
Sed quæ materno fota calore sibi
Clam degendo, novem lunæ sint cursibus ante
Quam validus fœtus qua data porta ruat.
Sic ubi robur inest utrinque recentibus annis,
Femina virque simul tunc nova fata probant
Queis inducuntur sibimet servire vicissim,
Et dare, commixto corpore, lucis ei
Qui latet intus adhuc, usuram. Hinc fomes amoris
Qui varias species excitat atque trahit
Congressum versus mediisque amplexibus ardet.
Cum brevis hora venit quam ciit ipsa Cypris,
Vita fugit versus, partes quæ munera præstant,
Inque viro penis fertur ad ipsa cruor
Interiora. Tumet, durusque deinde resurgit;
Aptior ipse venit sic subeundo viam.
Intereaque cruor genitabile virginis arvum
Explicat, unde cito tunc genitura subit
Flammula quæque latebrosæ primordia vitæ.
Hæc vero matrix qualiacumque nequit
Suppeditare, nisi turgentia vasa remittant;
Fluminaque hinc vulvæ menstrua dicta prius,
Quæ tunc vitali matricem humore feracem
Irrorant, necnon convenienter eam

Digitized by Google

Disponunt, homulum vel alendo simulque fovendo,
Dum prægnans mulier jam paritura genus.
Tempore concubitus longe diversa sequuntur
Phænomena : ex rigido fervida pene fluit
Spuma, foris variis succussibus acta vicissim,
Quam sibi sub fausto numine sæpe trahit
Matrix, et convectat ubi fœtura latescit,
Vim sperans vitæ principiumque suæ.
Hæc dum contingunt, adventat mira voluptas,
Qua vix mente sua femina virque valent,
Qua furit omnis amans inhiatque fruendo futuræ
Mox alii ; tanto nascitur ansa bono !
Non ego vana loquor, nec erit quod risus iniquus
Excipiat voces dimoveatque fidem.
Num vero coeundo viri sint ignibus acti
Fervidius sociis, ante dirempta fuit
Lis. Veneris vatem dicunt utriusque peritum
Nomine Tiresian, cum vice functus erat
Alterna, vel homo mulierque deinde resurgens
Muneribus lecti conjugialis, eam
Litigii causam secuisse coloque jugali
Indulsisse, ratum se meruisse fidem.
Unde Pater, dulci diffusus nectare quondam,
Molliter arridens sic ea fatus erat
Junoni ludente manu : « Nunc esto quod ante
Credideram : maribus scilicet alma Venus
Non ac femineo generi ridet ; quod in illis
Sit fibra torpidior sicque cupido minor. »

Digitized by Google

Diva negat, judexque datur qui sponte diremit
Hanc litem : solvit, sed rata crimen erant.
Mox ea luminibus raptis exosa procacem
Multavit. Placidos sic agit ira Deos.
Hinc mirare vias naturæ quasque sagacis
Quæ voluit genesi consociare bono
Jure voluptates, et eo jam fine scienter
Certius, ut proli serviat omnis homo.
Sic nos rursus Amor jungat meliora fovendo,
Deliciisque novis tempora nostra fluant.
Quos probat alma Venus, dulces tentemus agones;
Nullæ quippe monent te peperisse notæ.
Et Juno precibus nostris audita, capræque
Quam prius admovi, nunc memor, ipsa sinit
Almos ire dies nobis sine nube priusquam
Accidat ominibus triste quid inde malis.
Forsitan adveniet tempus quo versus amice
Matre tua, potero prodere jure faces,
Queis toties arsi, toties tibi vota ferendo;
Tunc et Hymen poterit sic abolere nefas.
Si fortuna favet nobis, Lucinaque nostrum
Expleat hinc votum, gignere nempe sinit
Prolem quæ menti revocet constanter amores,
Vertice tunc feriam sydera celsa poli.

Digitized by Google

FELICITAS.

Se felicem esse fatetur Zoroas assidens Panchariti. Quam jucunda sit possessio amicæ, et quam suavior præeat bonis quæ jactitat malesana juventus. Juramentum. Quo ducant divitiæ, honores et fama. Grates Jovi persolvantur. Ultima vota et promissa.

Sors tandem favit, tribuereque quidquid avebam
Numina : felicem me decet esse datis.
Immunis curæ liberque prementis acerbé
Ante mali, dominæ nunc requiesco sinu.
Cervici pensum mediisque amplexibus arctum
Larga voluptatum copia sæpe beat:
Nectaris et largos calices exhaurio qualem
Hebe permagno non dedit ante Jovi.
Ipsius recubo lateri; suspiria, risus
Erroresque mei sunt alimenta novæ
Sæpe voluptatis, nec eunt irrisa per auras
Vota mihi nitida jure recursa die.
Tædia quotque subinde cadunt, tot et irrita vertunt
Virgo potens nemorum tumque Minerva mihi;
Interdum Bromius, sed adhuc mage doctus Apollo
Qui nunc tergemina me vehit arte sua.

Digitized by Google

Unius o pergrata mihi possessio amicæ
Concordis, quanto suavior usque præis
Ventosis levibusque bonis quæ cæca juventus
Jactitat et sequitur, nec saturata fugit!
Non ignota loquor. Luxus, cui verna sacravi
Tempora ferventis, quid meminisse datur?
Ante juventutis deinceps, tua jura recuso,
Vectaque fallaci gaudia nolo rota.
Nunc face quæ vitam mulcet firmatus et altus,
Per te juro, Venus, perque, Cupido, tuas
Juro feras toties nervo stridente sagittas,
Esse dehinc dominæ tempus in omne latus.
Divitiæ, nomen vel honos, quæ vestra potestas,
Quæve voluptates vos penes unde salus?
Ducitis insanos homines qui mitia mittunt
Ut fiant vestri quomodocumque jugi
Participes, miserosque datis persæpe vorandos
Acribus ærumnis quæ sine fine premunt.
Nam veluti sitibundus hydrops qui pocula quærit
Quo mage potatus, sic sibi semper avet
Ambitione datus metamque ignarus habendi.
Idcirco grates, Jupiter, ipse tibi
Persolvo meritas, nostræ quod iere carinæ
Per freta disparibus nunc agitata Notis.
Consona pacificæ naturæ vota dedisti;
A te recta fides eximiusque vigor
Queis semper valui, necnon usura puellæ,
Quæ mala dispellet quæque futura mihi.

Digitized by Google

Nunc et Hymen faveat, Lucinaque vota ferentis
Expleat, hinc cœptis optima finis erit.
Sic ubi me capitis nivibus dabit ipsa senectus,
Et venæ salient sæpe trahendo moras;
Cum sua forma decens longis vitiabitur annis,
Ac alia Zoroam dote puella trahet,
Tunc et utrinque secet vitæ mors stamina nostræ;
Unica nos habeat testa deinde duos,
Quam ramos late missura cupressus obumbrat:
Nil moror hinc nobis, quotquot iere, minas.
Forsitan et laudes aliena Camœna revolvet,
Dicens nos una consenuisse faci.
O Diana procis toties inimica, Minerva
Quam male versat Hymen dum quatit ille facem,
Albentem vobis citius consecro juvencam,
Si mox quam cupio sors mihi fausta datur.

Digitized by Google

OCCURSUS.

Meridies perstringitur. Zoroas occurrit dormienti Cupidini prope fontem salientis aquæ. Illo accedente propius, ut arma Dei exploret, hic expergiscitur vultuque minaci aspicit curiosum. Zoroas se purgat à culpa : replicat Puer, et injungit occurrenti, ut inimicis ipsius regni vim dictis moveat et redarguat. Avolat cito et sese ab oculis subtrahit. Advenit Myricon. Hujus alloquium et invitatio ut Zoroas moduletur ei cantus. Responsio Zoroæ.

NUPER oberrabam per amica silentia luci
Quem Mæander aquis perfluit ipse suis;
Et meditando faces ibam securus ad oram
Serpentis rivi quo saliceta dabant
Frigora. Ventosi ceciderant murmuris auræ;
Ludebat Zephyrus per sata perque nemus,
Alnorumque comas molli dabat ire susurro.
Sol fervens spatio stabat utrinque pari.
Æstus erat. Fortuna mihi quæ contigit illuc
Vaticinare velim, Panchari : juro, nequis.
Ipse Cupido fuit pharetra nervoque remissis,
Qui tenuem cytisum pone latebat humi,

Digitized by Google

Gramine sub viridi stratus, carpendo soporis
Delicium, quod erant propter amoma Deo
Mollitura magis proprias miscendo rosetis
Contiguis auras; tum salientis aquæ
Fons oriens sensim gelido de viscere saxi,
Leneque per pratum perque rubeta sonans.
En propius subsum pedetentim, cernere curans
Quæque Dei patula pendula tela citro;
Cum strepitu excitus subito salit ille minando.
« Ah mihi parce, precor, quod pius ipse recèns
Thura, Puer, dederim tibimet, clamo, nec abusque
Quo me juvisti torrear igne minus.
Hercle meo potius vires superadde furori,
Ut discant quanto mî tua jura placent.
Omne quod ante datum fatis traducere vitæ,
Insulse trivi, nec fuit inde salus.
Ast ubi vivendo tibimet monitusque sequendo
Imperii mollis fœdera quæque tuli,
Sentio me semper vegeta virtute foveri,
Igneus ardor inest, uror et inde magis. »
Perbene subjecit : « Nec erit quod langueat ignis:
Sed quæso curæ sint mea regna tuæ;
Et ritus lususque mei jam numine nostro
A te cantentur, ne mea regna cadant.
Gens inimica mihi surgit minitatque ruinam
Imperio, dicens nulla subesse dolis
Gaudia; quin potius cultum plerumque sequuntur
Curæ mordaces : inde quod ara caret

Digitized by Google

Thuribus Idalio, totiesque piacula desunt,
Quæ prius in nostris crebra fuere focis.
Incute vim dictis mendacia quæque retorquens,
Et noscat quantis fœdera nostra scatent
Deliciis ubicumque novis, si pacta fidemque
Servet utrinque datam blanda juventa prius.
Eia age, pro nobis tandem memor ipse resurge,
Atque dehinc pateant quæ latuere joci.»
Talia fando, mihi vicino à fonte petita
Ora Philetea nostra rigavit aqua,
Lacteolisque dein pharetram nervumque reduxit
Subridens humeris, et petit alta statim
Aera præpetibus pennis, mox perditus auris,
Ante datus circum suavis odore rosæ.
Mirabar quis erat Divi per inania tractus,
Et mecum reputans num data nostra fides
Vocibus ipsius, quando stetit ante Myricon:
«Heu! Zoroa, quid agis? Quo tibi pergis iter?
Nos ibi propter aquam frigus captemus opacum;
Et vice dicendo quæ micuere faces,
Otia ducamus nobis meliora serentes
Usque sub occiduo sole sit acta dies.
Te mihi dixerunt pronuper Apolline versum,
Et nondum Musæ quale sit inde decus
Noscimus; omne latet quod erit tibi forsan honores
Laturum Pindi. Fortis adesto tuis
Ausis. O apio crines ornande virenti,
En tibi do calamos: accipe; namque vocat

Digitized by Google

Nunc Erato, jactatque suis te nuper alumnis.
Vocibus hinc resonent florida rura tuis.
Dum canis, insani feriant sine littora fluctus.
Nunc memor esto velim quos prius ipse dabas
Urbe modos : numeros memini, si verba tenerem.
Euge, meis votis denique siste, precor.
Alternando vices, cantabimus : illa Camœnis
Carmina quæ vicibus canta fuere, placent.
Rumpe moras, myrteta dabunt melioris odoris
Auras, hinc nobis lene reflante Noto. »
Queis ego : « Quæque suos lusus fert hora, Myricon.
Me mea virgo petit; sub ditione sua
Me tenet almus Amor : veniet quo carmina ducam
Tempus, et imparibus quæque ligabo metris,
Et cantando meos ignes cantabo favores
Ipsius; sed erit jam data meta jocis.
Sacra sacris; sacris jamjam procul esto, profane :
Desine quæsiti; nam silet omnis amans. »
Rumpendoque moras, perrexi ad mœnia dicens
Me fore mox votis ipse perinde suis.

Digitized by Google

AMBULATIO.

Invocatio ad Memoriam; ei grates agit Zoroas, adprecaturque ut mox refricturus Pancharitì actas ruri voluptates, omnes circumstantias suo animo reducat. Ubi imperium habet parum curat. Descriptio Phari et prospectus. Sedent amantes Zephyrisque invisuntur. Descriptio apricæ sedis. Ascendit malùm procus, fructus carpendi gratia. Penus sistitur Panchariti. Merenda. Nec sua deest naribus copia. In vallem descendunt, subeuntque specum qua prius expavit amica ad cœli minas. Preces numinibus quæ præsunt voluptati. Obdormit Zoroas dum lectioni Pancharis terit tempus. Exeunt, rivum transeunt, ad sinum Marsicum deveniunt. Apostrophe ad amicam de loci amœnitate : lotum hic eunt. Lusus pueriles in aquis, queis alliciuntur pisces. Zoroæ error, Pancharitis vaframen. Luela; Zoroæ infortunium. Apparet à longe cycnus. Metus, procis ipsiusque apostrophe ad avem. Nando usque ad maris oram pergitur iter; pavor ad squali aspectum. Egrediuntur ex aquis, ultima voluptas.

O prædulce bonum mortalibus, alma Facultas,
Qua sibi rursus habet tot quot iere vices

Omnis homo, ac iterum rebus persistit abactis,
Dum rapit ad nihilum mobile tempus eas,
Huc ades, ingenioque novas nunc adjice vires
Quas sibi materies non prius acta petit:
Quippe quod ante tua toties demulsus ab aura,
Spes me jure fovet te meminisse precis.
Ipsa voluptatis lapsæ mihi subjice casus
Queis me dissimilem vix habuere Diis
Gaudia. Jam vulgo nexus quoscumque latentes
Quæritet ipse sophus, vel meditando novas
Inveniat causas, credatque subesse cerebri
Vim gyris, vel iis quas docuere plicis
Meningum; dicatque scholis sapientior alter
A rerum formis quæ subiere prius
Tangi animam, monitamque dein percurrere tractus,
Sic et eundo vias et relegendo dein
Pertentare sinus, exilis aranea sicut,
Grandia si parvis assimilata valent,
It filis prædæque subest excita sub ictu:
Nil moror has lites quas dedit ante Deus
Versandas homini nondumque indagine notas:
Me tua vis ducit per nova castra; sequar.
Pande vias, quæso, cerebrique reclude meatus;
Sic ideis dives luxuriosus eam.
Panchari, nunc menti redeat quæ duxit utrisque
Totque voluptates totque subinde dolos
Illa dies æstiva; precor paulisper ad acta
Attendas quot erunt mox memoranda tibi.

Digitized by Google

Jam sol crescentes pronus duplicaverat umbras,
Cum simul ibamus per juga nota Phari,
Quo vix ascensi late miramur amœnum
Prospectum, et quod erat vallibus omne decus.
Naxos, et hinc Pathmos, Delique novissima tellus,
Culmina ab undoso jam nebulosa mari
Hesperiam versus tollebant. Lentius ibat
Mæander largis hic sinuosus aquis;
Acceptisque prius rivis, pergebat ad altum
Icarium, quod erat flamine lene datum.
Jamjam sub platano per odora merasca sedemus,
Ascensu fessi, sæpe labore viæ.
Per sata tunc Zephyri pennis mulcentibus ibant;
Cœruleus cyanus tumque papaver iis
Visa dabant passim florentia culmina caulis,
Fronte sub adversa quæ latuere prius.
Ut sensere faces alis properando jocosis,
Advenere simul læta per arva leves;
Et circumvolitando fugam reditumque probantes,
Spargebant passim quidquid odora dabat
Sylvula mogorio cistoque rosaque comata.
Quo ducebat odor, sponte subimus iter.
Faune, quot inde tibi fluxere è pectore grates,
Quod nemoris cunctas hic habuimus opes!
Grata quidem statio, lucta tamen absque salaci:
Cespes erat mollis cui siliquastra decus
Præbebant, ramis Phœbi tutantibus ignes.
Vallus erant cytisi, valla roseta Paphi.

Digitized by Google

Psila locique virentis amabile frigus et umbra
Suaserunt nobis hic adhibere moras;
Dumque Corinna procul redolentia fraga legebat,
Ad tua prostratus genva morabar hians.
Malus erat juxta fructu flavente renidens,
Quam scandi cupidus carpere poma tibi.
Quot mihi quæ pressi, quot erant quæ munere carpsi!
Messis erat messi, sic studiosus eram!
Te penes ista penus nostro gustanda palato,
Munera cum clivo lecta Corinna tulit.
Dii, vestros laudate cibos, laudate liquores
Nectareos, nec erit dulcior hisce sapor.
Sugebas, et sucta dabas quæ deinde premebam.
Suctibus alternis sic data poma placent.
E myrto frondem legi, quem pollice vexans
Naribus indideram, non sine fraude, tuis.
Invitata nova dulcedine suavis odoris,
Ad me flectebas mox juvenile caput.
Non oculi tacuere tui, quin sæpius illis
Quæque voluptates mî patuere tuæ.
Ivimus in vallem pasti quo fata vocabant,
Moraque carpendo queis nigruere vepres.
Lassula sæpe meos humeros hærendo premebas,
Nec grave nitenti tunc mihi pondus eras.
Inde specum subimus fessi, qua nuper ad iras
Turbinis ipsa tremens et data jure metu
Degisti mecum, casus secura maligni,
Quaque tuo duxi gaudia prima sinu.

Digitized by Google

Frigida temperies, et aquæ salientis ab alto
Murmur, et ille torus mollis ubique virens
Musco detinuere sibi quos Cypris agebat.
Sic strati Divam pennigerumque Deum
Prosequimur votis gratumque litamen inimus:
« Audi, Diva Paphi, quas damus hasce preces,
Dicebam venerans: aræ non cura fatigat,
Dummodo libetur cætera missa facis.
Thura precesque placent magis illa quot ardens
Virgo super filices dat resupina tibi,
Quam quæ magnates plumis vovere cubantes
Viribus effœtis, sæpe trahendo moras.
O Venus, hæc habeas ferventia vota favori,
Istaque servitium basia trina probent. »
Cuilibet ardori finis, sic lege Deorum
Sancitum; nobis hinc meliora fluunt.
Morpheus huc illuc mortalibus utilis usque,
Jamque voluptates mî meditando novas,
Palpebris sedit sensusque premebat inanes.
Dormibam, nec erat quid recubare putem,
Cum tua per pectus ludens collumque genasque
Et cirros numerans ibat amica manus.
Fotus et in gremio, peramica, tuo, ipse soporis
Deliciis blandi languida membra dabam.
Interea Anacreontis opus tibi tædia solvit,
Donec ad Hesperias jam prope Phœbus aquas
Igneus adventans, somno me solveret illo,
Basiolumque datum fervidus ignis erat

Digitized by Google

Qui me mox civit vires revocando fugaces.
Egressique specu carpimus inde viam,
Ante salutato Genio, jurandoque jamjam
Talibus auspiciis rursus adire jugum.
Rivulus en nobis ima de valle recurrens,
Qui tulit hic, unda jam coeunte, moram.
Sollicitudo dehinc quærentibus unde meatus;
Te vectam volui, me faciente viam:
Sed timor ipse vetabat adhuc, cum prendo morantem
Mox humeris; nixæ sic veha tuta fuit.
O prædulce mihi pondus! quam molle premebant
Cruscula nuda latus prætereundo meum,
Dum, capite inflexo, fovebas ore vehentem,
Nec deerant summis basia lecta labris!
Transgressi petimus salicetum: mox et ad oram
Occurrit vivis conspiciendus aquis
Marsicus ipse sinus, late quem bambos obumbrat;
Bambos arundineis frondibus usque virens:
Ille vitri instar erat, nullis crispatus ab auris;
Admissus nitidis sol duplicabat aquis
Huc illuc radios, aurum gemmasque serendo,
Alternas motu multiplicante vices;
Et læti volucres ramos volitando per omnes
Præibant somno, quisque canore suo.
Risus atque Joci circum sua gaudia quæque
Miscebant, nec erat quo doluere proci.
« Limpida quam placidis currit nunc fluxibus unda,
Panchari! dicebam: quam sibi molle trahit

Digitized by Google

Quos agit almus Amor, tacitis ac ignibus urit!
Illic quam melior nacta medela foret!
Imperat hic Cytherea; jugo genus omne natantum
Alliciens sub aquis, vincula nectit eis.
En agesis; pinnata cohors sit testis agonum,
Et nostris faveat circumeundo jocis.
Humida regna petamus adhuc inaperta subanti;
Noscendoque dehinc quæ sua thura cremet
Squammea gens Veneri, forsan meliora feremus
Emolumenta facis; non malus error agit.»
Capta rei novitate, tuam mox prima crocotam
Exuis, et strophio per tua crura dato,
Tum junco nectendo comam ne tingeret unda,
Jam nova me per aquas Salmacis ipsa vocas.
Quanta venustatum paverunt signa protervos
O oculos! votis quam mora parva fuit!
Adnabam dominæ, nec erat quid tolleret unda
Pura suis nivibus, quæ micuere magis.
Artubus icta suis hinc illinc lenius ibat,
Lambebatque retro rursus eundo faces.
Ardebam, dominamque simillimus ardor agebat,
Quem mihi prodibat lubricus ipse suus
Contuitus. «Quid amans tentabo nova, alme Cupido,
Prælia! Quis nobis inde valebit honos,
Si tibi libando suavissima thura ferantur,
Nec nos vicinis impediamur aquis?»
Interea amplectebar eam volvente lacerto,
Dum, lateri nitens, ignibus ipsa dabat

Digitized by Google

Vim, taciteque mihi suadebat amantior ausus.
Tentaturus eram quæ foret illa Diis
Qui sua regna tenent sub aquis, experta voluptas,
Sorteque num nostra sint meliore dati:
Pancharis arsa moras nihilominus addidit auso;
Scilicet acta novis casibus unde timor.
Mira loquar, nec erunt accepta nepotibus unquam:
Credite, vera loquor queis adhibenda fides.
Squammea gens circum, nullo commota periclo,
Undique stipabat prosiliendo secus,
Lætaque quod nobis deerant quibus illa periret,
Retia, plaudebat circumeundo jocis.
Cyprinus, et barbus, mullus, gobiusque, dracoque,
Prælia miscebant non nocitura cuti.
Instant hi passim fugientibus atque recursant,
Moxque revertentes unde fuere dati
Ante fuga, Phœbo radios mittente sub undis,
Sæpe reflectebant Iridis omne decus.
Ad zonam nabant illi meliora petentes,
Molleque mulcebant inguen eundo suis
Hinc illinc caudis; ibant rursusque redibant,
Omnibus admissis qui placuere dolis.
At licet iste novus traheret me ludus in undis,
Ad primos ausus ipse ferebar hians.
Carpere ducebar niveo de pectore poma,
Panchari, bina tuo, lucidiora puto
Quam quæ jactabant subrepta sororibus Afris,
Cum tibi granatum detulit unda fluens.

Digitized by Google

His quæ nostra manus jamjam decerpta tenebat,
Substituis ridens, mox mihi vafra dabas.
At tua callidítas fecit me jure protervum:
Insilii, nec erat quid doluisse putes.
Ibat fine sua bellum, pudet illa referre
Cum stupui mœrens inguen inerme meum.
Perquam scire velim quid obest ardentior ignis
Sæpe repente proco, nec sua tela juvant
Heu jamjam pugnaturum, dum prælia fervent:
Res est, crede mihi, discutienda sophis.
Frigida temperies rivi mihi demserat omnem
Spem, nec erat carmen quo refovenda foret;
Sed securus amore tuo, non fata dolebam.
Inguen inerme quidem, sed tulit ipsa vices
Lingua tuis inserta labris nec segniter acta;
Hinc spe delapsis mox jocus alter erat.
Sic præsente fruebar hians, cum proximus instat
Cycnus eundo vagis ambitiosus aquis:
Nunc cervice sua sinuosos molliter orbes
Signans, huc illuc exspatiando secus,
Semiadopertilibus pennis ludebat in undis,
Sæpius et subtus lucida colla dabat.
« Jupiter, agnosco temet, clamo, nec erit quod
Pancharis hic gremio credula condat avem.
Si raptor venias dominæ, mox alta petito
Sydera quo vestris ignibus esca tua est. »
Vana formido fuit nobis, cum Jupiter esset
Femina, quam cycnus mox adeundo suæ

Digitized by Google

Conjugis instar habet mulcens, coituque beavit.
Sic Dea nunc nobis qui Deus ante fuit.
Non pertæsa joci, venit tibi deinde cupido
Ire secus flumen littus adusque maris.
Humor erat refluo cursu descensus ad altum;
Currentem sequimur sæpe natando simul:
Et jam nos habuere sibi placidi æquoris undæ;
Naturæ quot erant quas stupuimus opes!
Hic sibi hiberna struit, longum mansura per ævum,
Mollius insectum, queis generando genus
Progenies vivit, succedit et ipsa parenti.
Illic in conchis gens animata latet,
Quæ, demersa vadis, valva sibi captat aperta
Pabula, vel tracheis spirat adulta suis.
Pinnigeri quot erant variato pectore pisces!
Quam fuit et plantis hic variatus honos!
Omnia mirabamur adhuc ea cum helluo squalus,
Horresco referens, ore minante venit.
« Heu citius nobis pereundum, Panchari, clamo,
Si mox ad rivum non remeamus iter.
O salva, Cytherea, tuos, et adesto vocatis.
Si precibus faveas, mox erit agna foco. »
Audivit Cytherea preces, et squalus abivit
Longius à nobis, quo nova præda vocat.
Et jam dimidium disci tingebat in undis
Hesperiis Phœbus, cum satis acta jocis
Egrederis rivo, qualis Galatea profundo,
Pandendoque tui corporis uda nives;

Digitized by Google

Cæsaries implexa rosis et roscida guttis
Sole sub adverso chrysoberyllus erat.
Protinus induimus vestes, quas fida Corinna
Servabat nobis cespite strata novo.
Ipse tuli partes famulæ dum candida sicco
Membra, cutique fero qua latuere stolam:
Sed prius occultet nivei mihi pectoris orbes
Quam teretes, illis basia trina tuli,
Jure voluptatum gratus quas ipsa dedisti,
Ludorumque memor quos mihi movit Amor.

Digitized by Google

EPIPHANIA.

Monet amicam Pancharis de anxio animi statu, fatendoque ipsi qui eam traxit Zoroæ amorem, addit quæ damna inde secuta fuere, et mœrens petit ab illa auxilia quæ metus fugare queant. Rogat eam Samon ituram ut adeat Sibyllam fatidicam, et discat ab illa quid sors ipsi reservet.

Iphia cara mihi, pretiosior usque puellis
Quam fuit ingenuis Indicus ipse lapis;
Tu quæ semper eras mihimet semperque fuisti
Intima consiliis, arbitra, certa fides
Rebus in ambiguis, primum solamen in arctis;
Tu toties curis sollicitata meis,
Ah venias; succurre, precor; tu respice casus
Queis crucior misere, promptaque defer opem.
Divinavisti; quid adhuc tegerentur amoris
Ignes, qui pressi tunc magis inde flagrant?
Me Zoroæ devinxit Amor, memetque periclis
Improbus objecit quæ cito damna ferent.
Moribus ingenuis, habitu cultuque decoris,
Et magis illecebris quæque fuere suæ
Mentis adornatæ, tantum valuere sagacis
Ingenii dotes, ipsa subacta dedi

Digitized by Google

Heu ignara manus! Quid enim restabat amando?
O tibi, non natæ, maxima culpa fuit,
Mater; seu potius nunquam rebaris ut illa
Vertissent labi tot documenta meæ
Sub tali mores nitidos profitente magistro,
Quæ virtutis eras tam studiosa meæ.
Nec mora, larvata nostri crevere calores
Obtecti specie; sic rea sponte fui,
Iphia, si fovisse procum mihi crimen habendum
Quem cito traxisset nostra repulsa neci.
Denique succubui, vetitisque amplexibus hausi
Ipsa voluptatis pocula larga novæ.
O quam grata Cypris, gratus quam nocte dieque
Ipse Cupido fuit, quamque perinde ruit
Pugna frequens nobis stillis et fluxit amœnis!
Ictus quot dulces quos peperere joci!
Sed quid ego proinde dolens hæc mente revolvo?
Cynthia jam decies luxerat orbe suo,
Nec minus ardebant ignes subolente nec ullo,
Cum primum adverti quis foret ipse mei
Exitus erroris, qualisve infamia labis
Innuba si tulerim germina forte sinu.
Hei mihi! quam vertere nimis præsagia vero,
Turgida cum fuerint viscera prole dein!
Omnibus ignoti, tandem patuere tibimet
Ignes; cognita enim numquid habere rudis
Omnia posset amans? Verbis exinde pependi
Læta tuis, credens te vocitare fidem.

Digitized by Google

Jam tibi pando meæ sortis discrimina mœrens,
Cum laceræ subsis anchora sola rati.
Nam licet opprobrium stabili bene vertere possit
Nunc hymene ipsa parens, demere sicque malum,
Non secura magis rebus confido caducis,
Nec pascit mentem vel levis aura spei.
Irent dispare enim nimium connubia nodo,
Ut votis finis sit sua grata meis.
Haud dubitando suæ mentis, stimulata pudore
Delicti, necnon prolis amore meæ,
Et Zoroæ cujus crudelia fata revolvo,
Non mihimet consto tot resoluta malis.
Haud secus ante ratis sævis Aquilonibus acta,
Turbine composito, fluctuat ipsa magis
Huc illuc tumidi refluentibus æquoris undis,
Nec nauclerus habet quo regat ipse viam;
Sic ego jactor inops, et abest qui firmet inermem,
Quassatisve ferat quam peto rebus opem.
Casibus his notis, superest tibi tendere dextram.
Tu sacram paucis es petitura Samon:
Tunc age, vade memor nostrî, visaque Sibylla
Fatidica, vitæ, quæque fuere, vices
Pande dehinc illi; noscam quodcumque reservet
Sors mihi, num facilis vel mala semper erit.
Iphia fida, precor, dubiis ne defice rebus,
Et ea quæ dederit jam cito dicta refer.

Digitized by Google

MANTISSA.

Ulteriora doctrinæ principia de vita ab ovo ad mortem usque. Quando vita incipit. Ejus fons in cordis motu : qui eam in principio juvant humores. Homunculi exitus ex utero. Respiratio. Lactis origo et usus. Quo it passu incrementum infantis, eo eunt et panduntur sensus; unde axioma philosophorum, nil esse in intellectu quod non fuerit prius in sensu. *Ideæ nascuntur et actus. Dentium emersio; formantur artus, ossa; surgit, salit et graditur puerulus. Pubertatis initium. Quæ phœnomena eam statuunt tum in masculo tum in femineo sexu. Hæc ætas Veneri dicata brevis est; succedit virile stadium. Phœnomena. Unde ultimum vitæ tempus, sive senecta. Mortis necessitas. Redit homo in pulverem qui à pulvere ortus erat. Phœnomena dissolutionis. Unde formæ orbis variæ sub eodem motu perennant.*

Quæ prius evolvi nondum explevere sagaces
Ingenii vires, indeque sæpe venit
Altera causa tui quæsiti, Panchari; nempe
Quomodo de nihilo nascitur omnis homo,

Digitized by Google

Vivit, et augendo sensim data tempora vitæ
Percurrit, donec venerit atra dies
Qua, cessante sui momento corporis, ipsa
Machina jamque nequit sumere cassa vices.
Ardua jure quidem dictu nondumque soluta
Quæstio, quod tacitis artibus intus agat,
Dum sibi sumit opus natura, nec edat aperte
Signa suî, vel adhuc pleraque nube latent.
Quæ tamen obvenere loquar, sic quælibet hauri.
Quo fuerat fœtus seminis ante citus
Aura, jam peragunt sibimet nova munera partes.
Diditur hinc ductis intima vita fibris;
Cor salit, et saliendo recèns agit excita vasa,
Expanditque suis nisibus omne prius
Molis inertis onus motumque dat unde struatur,
Et virtute sua cuncta dat atque fovet.
Interea veniunt dulces à matre seorsim
Excocti succi quos sibi vertit adhuc
Conspicuus nulli, propriis virtutibus actus,
Fœtus, et, exacto tempore, nempe novem
Mensibus, ex utero moles animata vicissim
Ejicitur vita jam fruitura nova:
Unde datur partus, notissima functio cuivis,
Qua quod erat genitum diditur omne foras.
Tum puer, ut sicca pelagi projectus in acta
Navita, nudus humi qui fuit, omnis opis
Indigus est, lacrymisque suis implorat eorum
Auxilium quorum mens sapit acta malis.

Digitized by Google

Qui prius hic utero matris latitabat in imo,
Clam sibimet vivens, lene calore datus,
Nunc et habet jamjam subeunda pericula, nempe
Aeris attactum quo sibi vertat eum
Blandius et ducat vitæ pulmonibus auram,
Rursus eam spirans, sic sine fine dein
Alternis vicibus, donec sit meta labori
Summa data, et, stimulis sollicitata licet,
Munus inire suum nequeant tunc organa quæque;
Omnibus unde oritur motibus hisce quies.
Qui prius ad fœtum verterunt, jamque recurrunt
Ad mammas succi : lactis et inde scatet
Copia materni, quod erit mox ore trahendum
Infanti; melior qua queat ille sibi
Incœptos servare dies et inire futuros
Esca. Parens illi jam studiosa dedit
Ubera plena boni nutriminis, unde fovetur
Vita recens puero, visque refusa viget.
Artibus his tacitis dantur primordia mentis.
Jam cupit, et gestu quod cupit ille petit.
Panduntur sensus omnes, animæque potestas;
Lætitiæ quod inest quodque doloris erit,
Indicat his, partesque gerunt suspiria vocis.
Ridet, et arridens cuncta perinde probat.
Paulatim quod erat toties in mente repostum,
Expedit et gestu voceve sæpe monet.
Incipit inde puer risu cognoscere matrem,
Mollia dans collo brachia utrinque suo.

Digitized by Google

Tandem nascuntur dentes radicibus imis,
Ordine quique suo, queis meliore cibo
Vescatur viresque novas acquirat eundo
Infans, et detur munere sponte suo.
Tunc strictis vasis arescunt organa lactis,
Sensim deletis sanguinis ante viis.
Sic subeunte penu sensim formantur et artus;
Durescunt intus quæ gelatina prius
Ossa : dein nisu sese fert ipse puellus;
Et stando graditur qui gradiendo valet.
Qua ratione vigent tacite partes, et eadem
Munera mentis eunt : acrior inde simul
Advenit hæc acies ideis qua ducimur omnes;
Et sua stat rebus quam docuere semel
Sensus : unde sophi nobis dixere priores
Nil intellectu ni prius esset idem
In sensu. Fuerat sententia lata Platone,
Hæc et adhuc multis quæ placet ipsa sophis.
Limine nascentis vitæ sic lene meato,
Altera mox ætas lætior inde venit,
Quam pubertatis norunt sub nomine prisci,
Et veluti vitæ ver habuere sophi;
Qua decoratur homo cunctis insignibus, atque
Semina virtutis quæ latuere prius
Proliferæ, gemmant sparsim per corporis oras;
Cunctaque sub variis organa dando modis,
Confirmant molem tacitis his motibus actam;
Unde genus vitæ prodit ubique novum.

Digitized by Google

Mascula vox oritur plerumque viris, et, inermis
Ante, puer validus nunc citat ipse parem.
Ignibus hinc uri sentit sibi sæpe medullas,
Consortisque bonæ quam bene jura valent.
Et sua femineis etiam mutatio vertit,
Quæ tunc pro specie prodit itura suis.
Phænomenis. Niveæ surgunt in pectore mammæ,
Inque globi formam turgidioris eunt.
Quod picei nimiumve subest in sanguinis alveo,
Allabens utero diditur omne foras:
Menstruus unde fluor mulieribus omnibus usque
Communis, nec adhuc non sine fine datus;
Scilicet ut servetur eo genitalis agelli
Conditio melior; sic genitura dein
Possit habere moram, statioque sit aptior illi,
Qua vivat crescens dum bene succus alit.
Lilia mixta rosis vernant ubicumque, nec absunt
Ingenii dotes queis sibi virgo trahit
Quos regit almus Amor, vel inest in pectore fomes
Igneus. Hinc leges imperiumque Cypri.
Hæc ætas Veneri gratissima, quamque voluptas
Deliciis ditat semper amica novis.
Est ea qua ducti fervente calescimus igne
Nos ambo, crebro fomite dando faces,
Quaque perinde memor pugnæ mens gaudet avetque
Tam gratam Cypridi quæ peperere prius.
Sed brevis est ætas: gravior sic summa malorum
Ipsa manet, nec erit qua ratione boni.

Digitized by Google

Labitur hæc citius fugiendo, nec ulla moratur
Ars, et succedit jamque virile notis
Conspicuum propriis tempus, quo machina perstat
Robore quæsito, prompta subire vices
Quasque suas, durosque dein perferre labores
Vitæ, jam quot erunt unde sit actus homo.
Jure quidem dicas mortales vivere vitam
Hoc stadio, quod agit munera quisque sibi.
Mens, experta vices sortis quot et alea vertit
Ancipites casus, discit habere modum
Quæsitis; etiam parto scit vivere quæstu,
Si sapiat, lapso tempore cauta magis;
Scitque pati tristes æquali pectore curas,
Unde sui perstat corporis ille status
Aptior ut partes subigant alimenta coquendo
Quæ prius ore forent et data trita dein.
Sed sensim cordis conatibus additur objex,
Lenior huic motus, segnior unde fibræ
Actio, concrescente magis quam sumpserat ante
Materia et tardas sæpe trahente moras.
Sanguine detorto, fontes jam seminis arent,
Menstruus hinc etiam sistitur ipse fluor.
Nos finem versus tacite sic cogimur omnes,
Urnaque versatur cuilibet illa minans,
Nos et in æternum exsilium positura biremi
Qua semel admissis non remeatus erit.
Extremum hoc vitæ stadium dixere senectam,
Qua cessante dehinc qui prius ipse fibræ

Digitized by Google

Motu, mors oritur moriente tono; nec erit quod
Extincta flamma jam revocare queas.
Sic nati morimur, finisque ab origine pendet;
Quotidie cuncti sic properamus eo.
Sic homini dubiæ vitæ cessante procella,
Corporis ipse sui tunc elementa refert
Telluri quotquot veniens acceperat olim.
Dissilit hinc omnis machina; quodque fuit
Ante ligamen, item moles dissolvitur omnis,
Et vapor illud abit quod prius humor erat.
Terra manet posthæc alias subitura figuras,
Et variando modos mox paritura genus.
Sic mutanda dehinc exsurgunt entia quæque,
Nec se cognoscunt quæ variante rota
Diversas habuere notas per sæcula gentes.
At manet incolumis, servat et ipse suam
Orbis adhuc formam, nullus quem destruit unquam
Motus nec lassat longa perinde dies.

Digitized by Google

SOLLICITUDO.

Miratur Pancharis varios doctrinæ fontes unde sua scaturit Zoroæ philosophica scientia. Intelligit cur veteres corpus humanum vocarunt microcosmum. Stupet quod vulgus non studeat magis hisce rerum phænomenis, sed malit torpere turpis ignorantiæ servitio. Ipsius metus ne tanta supellex non vertat suo fenori. Mordaciter intus roditur inops consilii, submoneturque de quodam acriori eventu. Fortunæ vicissitudo.

Mirabar, Zoroa, quanti tua copia vertit,
Cum prius orbis opes quæ patuere sophis
Pandebas; sed adhuc miri manet altera causa
Quæ me percellit, nempe quod æquus eas
Phænomenis minimis, quamvis sint nube sub atra
Abdita, nec dederit cognita nemo prius.
Omnia naturæ quoties arcana revolvis,
Te sequor, enitens vertere dicta bono;
Quam mage nunc quod habent hominis præcepta fabricai
Et varios motus queis animata viget
Machina, dum longæ curruntur tempora vitæ.
Quid microcosmi nomen habebat avis

Digitized by Google

Humanum corpus video, quia plura notarunt
Phænomena in variis partibus atque simul
Orbis in immenso tractu quæ legibus ibant
Æquatis; medicæ quod retulere scholæ.
Sed mihi plaudendo, doctrinam miror et illam
Non valuisse magis, totque perinde satos
Vitæ nulla suæ quandoque dare otia libris,
Qui melius ducunt sordibus esse datos
Segnitiæ turpis probrosis : unde sophorum
Ante fuit verbum consiliumque datum
Noscere se primo quoties res competit ipsa;
Quæ de corporea sic quoque mentis erant
Dicta puto virtute. Mihi nunc illa doceri
Gaudeo tot tantis vocibus usa tuis:
At jamjam, miserum, timeo ne tanta supellex
Sit sine discipulæ fenore forte suo.
Mordaces intus rodunt mihi pectora curæ;
Suspicor et nostris acre quid esse jocis;
Sæpeque, vel vigilem, somnusve subinde recurrat,
Jactor inops mentis consiliique fere.
Irrequieta mihi volvor nunc turbinis æstu,
Deliciumque latens anxietatis erit
Fons; intus moneor, citiusque sit omen inani
Eventu! Quidquid me meminente vicis
Percipio, lacrymas oculis trahit illud amaras.
Sentio, nec possum quæ sit iniqua loqui
Causa mali tacitis miseram vexantis acerbe
Motibus, unde magis vellicat intus onus.

Digitized by Google

Casibus o quantis sese Fortuna revolvit!
Nuper erat ridens, mox levis ipsa premit.
Nec mihi vel conferre queunt solatia libri;
Quæ jucunda prius civerat ipsa chelys
Pergratos menti modulos, nunc pendet inanis;
Sique sonat digitis, pejus et illa vibrat.
Hic et ubique subest latitantis causa doloris;
Nec scio quid valeant quæ subiere vices.
Ecquid crediderim has lites latuisse sub illis
Ante Cupidineis ignibus unde premor?
Nullane causa voluptatis quin felle madescat,
Et rosa sic spinis horrida semper erit?

Digitized by Google

PERIPETIA.

Queritur Zoroas de versa sibi sorte. Quærit ab amica unde hæc rerum conversio. Invitat ut ad primos animi affectus redeat, quod nullius criminis sit reus. Memoriæ revocat evanida felicitatis tempora, et, perstrictis illis, rogat eam ut iteret ipsi primi amoris pignora. Si negat, solvat pactam fidem. Illam increpat quod bonam dederit, nimis cito eam læsura. Sperat quod resipiscerit. Apostrophe ad Amorem.

Nil erit ergo dehinc homini quod non sit eundum
Fissuris, etsi firmius ante foret.
Cuncta cadunt, surgunt ruitura deinde, deinque
Venturi alterius mox subitura vicem.
Nuper eram felix partis, Divisque ferebam
Grates de læto pectore jure meo;
Aura levis sternit conversa sorte beatum.
Quam vicina bonis nos mala sæpe premunt!
Feminei generis nimium constanter amici,
Dii, quot in exitium tela dedere viri!
Panchari, quid fugere dies queis tumet amantis
Acta tui votis igneque nuper eras;

Digitized by Google

Queis et ei fidei jungebas pacta renidens;
Queis mihi jurabas te fore semper eam
Quæ nostris habeat duci dictis et amore,
Sicque tibi fidum velle beare procum;
Queis tibi me dando sperabam posse referre
Servitii dulcis pignora digna mei?
Nutristine faces primas, ut sævius iret
Inde odium, nec erit quid miserando juves?
Ah mihi nunc redeas, quod ego sim semper amandus,
Nam merui certe, fulmina juro Jovis.
Corculum, o fare mihi citius, quæ causa remissi
Sic animi, et quonam cesserit icta fides?
Heu mihi, sit testis Cytherea, sit ipse Cupido,
Me non ullius criminis esse reum.
Omnia mutantur; cohibes nimis anxia linguam,
Quæ toties acres clam mihi fassa faces;
Aspra siles, oculosque avertis semper inique.
Cur mea nunc vitas basia, curque statim,
Cum libare volo, nostris te subtrahis ausis,
Nec dare jam curas quæ rationis erunt
Argumenta? Fave: genubus nunc ipse volutus,
Cognoscam citius quæque patrasse feror
Crimina. Cur reprimis voces causasque loquendi,
Oraque mutantur versa rigore novo?
Ferrea, quæ docuit tot amaris texere amorem,
Deque proci pacta subdubitare fide.
O ubi fausta dies quando tibi fando calores,
Anxia lugebas acta timore nimis.

Digitized by Google

Insidiatoris, nec erat suspicio verbis,
Et tibi tergebam credulus ipse genas!
Vel quandoque canens, meminisse quid illa juvabit?
Festivis modulis oscula mixta dabas,
Raptaque laudabas, iterataque sæpe placebant;
Et mea verba magis suavia, quotquot erant.
Nunc quid, iniqua nimis, plerumque nivalia figis,
Et sic floccifacis fervida verba proci?
Ah mihi restituas quales prius, oro, tulisti
Nunc oculos et eis quidquid inesse solet
Languoris, nec adhuc referant quid triste ferumve;
Quin potius sistas te mihi qualis eras.
Ergo veni citius gremioque relabere nostro:
Oro non ut ames, ast ut amare sinas.
Quod si cuncta negas, proinde nec angit amoris
Cura mei, pactam solve dolosa fidem.
Quid mihi quod dederis puram læsura deinceps,
Civeris inde Deos munera dando focis?
Anne latet, quamvis primum perjuria celes,
Serius aut citius te, malesana, nefas!
Pœnas posse dare? At dictis nil amplius addam:
Sperando doleas, jam mea rixa cadit.
O Amor, invite cogis cur dura profari,
Cum nec adhuc fuerit certa repulsa meî?
Sed si sternat hiems, utinam jam quasque sagittas
Et pharetram fractas mirer, inique, tuas;
Et tua fax, accensa malo prius omine nobis,
Quamvis succutias, sit sine luce magis!

Digitized by Google

LUELA.

Narrat Zoroas à qua scaturigine suspicatur oriri ipsius infortunium : scilicet se cum domina nuper spatiante per colles Pathmi, eos incidisse in dormientem Amorem, illamque incaute sibi sustulisse ipsius arma, jocandoque cum illis, ad procum direxisse telum quod vulnerato civit increpationum voces : aliud nefas meditatam esse puellam, nempe vincire Puerum; sed ad aliud consilium se vertisse, videlicet alas ei resecare; unde fuere saucio dolentis voces, queis commotus Jupiter misit nubem quæ eum deposuit in matris gremio. Miserias luget Zoroas, veniamque petit à Cupidine.

Luce sub æstiva, per odora cacumina Pathmi
Cum domina errabam, blanditer actus ea.
En nobis conspectus Amor qui cespite somnum
Carpebat viridi, quem magis umbra recèns
Florigeræ mulcebat ei gratissima myrti,
Tum Zephyri frigus mitior aura ferens.
Risus atque Joci, comites huc usque sequaces,
Hinc procul exsultim circumeundo suos

Digitized by Google

Miscebant ludos, indulgebantque choreis.
Solus erat nostræ tunc ditionis Amor.
Et prope cum pharetra cornu fuit; omnia stabant
Spicula sparsa solo. Pancharis ecce sibi
Sustulit arma Dei, cornuque jocando tetendit,
Clamque mihi telum dirigit illa ferum.
« Mitius est vulnus, rursusque furentior ictus
Nunc intende novos, inquio, rumpe moras. »
Mox aliud vibrat quod eo penetralius ivit
Quo securus eram criminis ipse sui.
« Panchari, quæ feritas, clamo, quæ gratia facti!
Num magis his poterunt me refovere faces?
Me vis extinctum; moriar, tibi quippe voluntas. »
Mox mea verba premit basia multa serens.
Protinus ad Puerum vicinior : « Ille sopori
Membra dat innocuo; nos repetamus, ait,
Quas meruit pœnas ab eo : sic arma quiescant
Omnibus, et manibus sint data vincla suis
Floribus implexis, captivus et ille resurgat :
Quotque dehinc grates gens ferienda dabit.
Sed quid ego scelerata nefas hoc mente revolvo
In puerum nostris vocibus ante pium?
Nequaquam : requiescat, ait, præstabimus illi;
Forsitan igne suo fervidiore faces
Exacuet nostras, et erit nova, credo, voluptas. »
Talia fando, rosas mox sibi, quotquot erant,
Carpsit, et has frondes habuit quas proxima myrtus :
« En celemus eum sic ubicumque datis

Digitized by Google

Floribus, et quærent Puerum Risusque Jocique
Amissum, nec erit quod reperire queant.»
Spargebatque rosis passim studiosius illum,
Melligenis tectum mox fovet illa sonis.
«Quorsus ego, Zoroa, nugis intenta morarer?
Jamque recidendæ queis magis ille nocet,
Pennæ: sic desint causæ levitatis amanti
Cuilibet, et perstet relligiosa fides.»
Forfice comprenso dextra, pennas mox illa sinistra
Excipiens, operi se dabat ausa nefas:
Cum mihi continuo gelidus tremor ossa subivit:
«Panchari, siste, precor; Panchari, pone moras.»
Incassum reboant voces; ea surda recidit
Quod credebat inops furta fovere Dei.
Excitus somno, voluit volitare Cupido;
Cernimus à longe quis sibi luctus erat,
Cum videt exemptas crudeli forcipe pennas.
«Quis malus istius criminis auctor? ait:
Haud impune feret, testes mihi numina sunto.»
Mox dicturus erat, sed vetat ipse dolor.
Amissamque potestatem deflebat amare,
Cum cito demisit, commiseratus eum,
Jupiter e cœlo nubem quæ damna dolentem
Avectum terris molliter ipsa locat
Cypridis in gremio, citius quo vulnera siccet.
Auguror ex illis damna scatere mihi.
Sed quid ego solus sontis commissa piarem,
Thureque culpa pio non abolenda foret?

Digitized by Google

O irate Puer, lacrymisne vel hisce querelis
Durus eris, quot ego fundo, dolendo nefas?
Pœnitet illius, misero si credere fas sit:
Heu ignosce, Deus, mitis et esto preci.
Pœnitet: heu ignosce mihi; sic fervidus ignis
Ut prius hinc habeat nos in amore pares.

Digitized by Google

SIBYLLA.

Respondet Iphia Panchariti, et eo lubentius quod noverit, imo experta fuerit, Amoris tela. Tristia ejus verba. Describit quid sibi occurrerit in invisenda Sibylla, quomodo explicuerit dubios amicæ casus, et quæsiverit ab illa quod omen patefaciat unde dolenti sors dilucidetur. Responsio sacerdotis, et prævii ritus antequam mala omina pandat. Consilia et solatio.

Panchari, versa malis melioreque sorte fovenda,
Optima pars animi, digna favore meo,
En tibi sum. Vexata prius, succurrere novi
Heu miseris: etenim me quoque punxit Amor;
Et Venus alma mihi mandata subire coëgit
Connubium ante meum quæ sibi vertit Hymen.
Sed mage te, nubendo proco, felicior exin
Ipsa fui: tædæ sic micuere meæ.
Quæ mihi mandasti quærens oracula feci:
Heu utinam fini nunc meliora darem!
Inveni vatem scopuli declivis in antro,
Quo me raucisono cardine duxit iter
Scruposos inter flexus umbrasque sub atras,
Quas hinc aut illinc devius ipse fugat

Sol qua fissuris penetrat resolutus hiulcis,
Sic tamen ut pergens certius ire queat.
Illa, ubi me vidit, subito tentata furore,
Horruit asperius, stridula verba ciens.
Nec mora : « Quæ ratio adventus », exclamat ab imo,
« Quidve paras operis sic inimica meis? »
Tunc committebat foliis spargenda per auras
Carmina quæ pandunt dicta suprema Dei
Fatidici, reserantque sacris oracula verbis.
« Fare age, jamque tuis vocibus esto brevis. »
Queis ego : « Virgo, fave : venio discenda puellæ
Quæ vel erunt dubia mox data fata rota.
Hanc pharetratus Amor punxit traxitque nefastis
Heu facibus, nutus Cypride dante suos,
Mensibus hinc decies, minime subolente parente.
Viscere fœtifero nunc gemit esse gravem :
Indolet illa magis quod adhuc non ulla resarcit
Spes ut flagitium tollere possit Hymen.
Anxia jamque suæ prolisque procique, rogavit
Te visam citius me veniente Samon,
Sicque tibi pandam rerum discrimina quæque,
Ut possis melius jam stabilire vices,
Et dare quod menti sese patefecerit omen.
Hæc est summa rei : porro puella sciat
A te quæ toties casus quoscumque futuros
Pandisti, quales urna revolvat ei. »
Hæc ubi dicta dedi, convertit lumina cœlo,
Voceque submissa murmura rupta tulit,

Digitized by Google

Conticuitque dein, tandemque silentia rupit:
« Hæc tibi non possum quæ rotat orbe suo
Terrigenis Fortuna levis reserare, priusquam
Rite sciam fati quæ docuere mihi
Paginæ ». Adhuc dicente, dabant de fonte ministræ
Subgelidos latices queis bene lota manus
Exequatur opus, tenuique aspergine circum
Perfundit tacite, dum pice curva specus
Fumat ab accensa passim dubioque refulget
Lumine testudo, thure liquante foco.
Pone aram titubante gradu processa Sibylla,
Pollice non segni volvit ubique notas
Fatidicas, tripodemque tenens hæc omina rauco
Auribus illa meis trudit acerba sono:
« Sub Parræ cantu nati feralis amores
Ibunt ambobus fine perinde mala:
Sic stat eis præceps et ineluctabilis ordo,
Ut nequeat casus alea ferre novos. »
Aspera, cara, tuis equidem responsio votis,
Sed nondum exitio res abiere tuo.
Sunt voces, jucunda piacula, sunt et amica
Thura quibus possis demere, crede, malum.
Numina flectuntur precibus donisque vocata;
Suppliciter geminas ergo gemendo manus
Tende polo, Superos iterumque iterumque fatiga,
Panchari, vimque tuæ spes det amœna preci.

Digitized by Google

ANXIETAS.

Indolet Zoroas quod nil valeant suæ preces. Omnia ei desunt, etiam spes unde solatium. Nihilo recidet jurata fides et cassa fient fœdera. Meminit evanidæ voluptatis et deliciarum, comparatque illas anxietatibus quibus voratur nocteque dieque. Nil levaminis ei affert Morpheus, quinimo exacuit ipsius mala. Iterum instat ut nota pateant delicta. Precatur amicam ut ipsius misereat, exemplo Jovis, qui sæpe reis condonat. Ni obsequatur, pereant dehinc elegi, quibus vale dicit.

Ergone certa mihi suberit, Cytherea, ruina,
Nec verbis esset victa puella meis!
Quid mihi sic toties orasse Deos, et odora
Thura cremasse focis ut mihi spiret Amor?
Vota jacent misero, nec adhuc spes credula mentem
Ulla fovet, toties auxiliata procis;
Spes quæ vulneribus sanantia fundit acerbis
Balsama, messori quæ sua semper alit
Vota recèns versis spargit dum semina sulcis,
Quæ piscatorem pascit et ipsa fame

Cum demittit aquis larvatam piscibus escam ;
Spes quæ sic querulo sæpe medela fuit.
Vota jacent, nec erit viduo quæ possit amanti
Jam dare solamen vel relevare malum.
Proh Superi! quantum muliebria pectora sæpe
Noctis habent, quanto plus simulando trahunt!
Siccine cassa ruent memet quot ab ore remissa,
Panchari, paverunt verba priora tuo?
Heu ubi jam jurata fides qua semper amicam
Te fore dicebas, arbitrioque meo
Cessuram, vitæque tuæ sociare futuræ
Munera velle meis, sicque fovere procum?
Ergone verba tibi foliis leviora caducis,
Meque repulso, alio nuberis ipsa proco!
Mollia jam pereant quæcumque ferentur amoris
Fœdera, si vertat talia pacta fides!
Quid mihi nunc toties leni prolata susurro,
Dum Venus instabat, verbula sive minæ,
Quæ tunc calcar erant, nedum mora, quotquot amori,
Et queis callebas tunc renovare faces?
Quo mihi quæ primo suspiria mitia pugnis
Miscebas nostris, morsiculique leves,
Queis stimulare proci noras torpentis amorem?
Omnia versa mihi nec reditura dein.
Hei mihi! quo noctes placidæ quæ sæpe tulerunt
Menti jam Paphio sacra litata Deo;
Quæ sic acta die volvendo dedere fugacis
Signa voluptatis deliciasque novas?

Digitized by Google

Omnia mutantur, noctes mihi dantur inanes.
Quod si forte meis luctibus ipse præest
Morpheus, inducit phantasmata tristia menti,
Et gravat inde magis tunc mala quæque mihi.
O saltem noscam fuerit quæ causa meorum
Errorum! nequiit criminis esse reus
Qui semel accensus mediis amplexibus hausit
Sinceros ignes, quem tua sæpe sinu
Brachia strinxerunt niveo pascendo calores;
Ille quidem tanti qui memor exstat adhuc
Delicii, semper, credas, ducetur eodem,
Et sibi curabit rursus inire novum.
Ah redeas miserando meî, videaris amanti
Antea qualis eras, rixaque cuncta cadet.
Sique tibi tulerit convicia lingua proterva,
Ignosces, studio quippe suborta meo.
Fulmina si quoties peccamus adegerit ipse
Jupiter, huic citius fulmina nulla forent.
Ast ubi commoto tonitru conterruit orbem,
Discussis nimbis pacifer ipse redit.
Tu quoque Diva, precor, versa me more Tonantis,
Dando mihi veniam pro quibus ipse notor.
Pulchra quidem, sed acerba nimis, jam disce moveri;
Mitis et ad gemitus, Panchari, siste meos:
Quippe mihi nec abire datur nec amare parumper,
Pancharis ipsa fuit primus et unus amor.
Vos procul hinc, elegi, misero si nullius estis
Virtutis; vel edax nunc cito flamma voret,

Digitized by Google

Vel vehat Hebrus aquis portetve furentior Auster
Illyriæ, si non mota puella modis.
Vos quoque jam, Pueri, lethalia figite tela,
Figite neglecto, palmaque sanguis erit.

PERFRACTIO.

Expandit pœnitentis animi sensus Pancharis. Respondet Zoroæ quæsitis. Apostrophe ad virginitatem perditam. Increpat illum quod subdole eam traxerit ad vetitos amplexus. Utinam nunquam studuerit doctrinis! Consultans malo resolvit se removere à studio, et eo libentius quod consilium probet sua mater. Attamen non potest non meminisse amantis. Dolet de sortis infelicitate, imo ab ea deprimitur.

Ah miserum! quid aves? Nec erit satis ante sub illis
Me pressisse malis, furta tegendo strophis
Innumeris? Quid adhuc vanis carpendo querelis
Me dure rodis discruciasque simul?
Cur ego nunc servo perlonga silentia quæris,
Imo miraris quod fugienda putem
Queis videam verserve dein momenta mihimet.
Intima si tentes, quæ foret ipse scies,
Nunc quod præteriti pudeat, responsio nostra.
Heu loquor eloquio quod jubet orsus honos.
Virginitas servanda mihi dum jura pudoris
Excolui, cujus nomen inane fuit

Postea, cara magis virtus nunc perdita, frustra
Te fluxam revoco, candida, teque sequor.
Flos bone, nequaquam stirpi rediture deinceps,
Quem procul ex oculis casta puella proci
Seclusum cupidis habeat tactu vel oportet,
Tu sic solerti pollice cultus abis,
Et vacuæ stirpi spinæ linquuntur inanes!
Excitat heu lacrymas cognitus error eas
Quas fundo dubiis nimium vexata periclis,
Nec mihi qui miseram sublevet ullus adest.
Ast ego quæ spero solatia fando dolores,
Cum nequeam ultricis sumere sponte vices?
Huccine pacta fides tendebat fœderis olim,
Quod fovit proli non bene cauta parens,
Dum tibi me fidit Musis sophiaque docendam,
Scilicet ut fiam victima certa doli?
Tu sophiam facilem docuisti sensibus esse,
Vepribus excussis sic Epicurus erat
Dux meus. Hinc mentem fallens arcendoque cunctos
Qui monitus fuerint queisque remorsa forem
Cultus, tunc calices sceleris cum melle dedisti:
Et vis exosum me refovere jugum?
O utinam cunctando magis Tritonia memet
Spreverit, et ruerint quæ data pacta suis
Cultibus, ante mihi crimen quam fletibus esset
Delendum, vel adhuc staret et ipse pudor!
Haud fallor, scrutata malum, meliora requiro
Auxilia, et statuo me removere tuis

Digitized by Google

Præceptis; materque, prius decepta malorum
Causis quæ turbant conficiuntque ream,
Comprobat ipsa meam mentem sapientius inde
Quod timeat natæ sic iterata dein
Hæc studia afficiant vires noceantque saluti.
Ast tu conjicies me fore forte novis
Ignibus exarsam stringique Philintis in ulnis.
Ah procul hoc facinus quo mea lata fides
Corrueret! testesque mihi jam numina sunto,
Cum tua, quidquid agam, semper imago redit.
Quin te vitando nequeam meminisse potentis
Queis perii toties te redamando, facis.
Ast non ista tuam nimium confessio mentem
Exagitet: stat enim pectore fixa meo
A longe, et, faveant Superi, sententia stabit.
Nominis hinc laudis semper honore carens,
Cauta mihi teneor duratis moribus esse,
Omnibus his doctæ præteritisque meis
Commissis, vitanda recèns occasio culpæ.
Ah miseranda nimis, sorte voluta mea,
Fata cui toties monuere faventia mantæ,
Ergo nec heu damnis cognita finis erit!
Lusa dolis quid agam? Solatia nulla juvare
Nunc poterunt miseram, cum sit adempta fides;
Et res ire sinunt nostras male numina Divum,
Abnuerintque mihi ferrea nuper opem.

Digitized by Google

ANGORES.

Queritur Zoroas de fide scissa à Pancharite. Unde venerit illud consilium. Non præjudicium omnes naturæ vias obstruet, nec ducet amantem ad vindictam. Eam vult tantummodo memorem omnium quos nutrivit ignium. Si tamen sit adhuc locus amori, urget eam ut ad primas revertat faces, et eam moveat sollicitudo suî et fructus qui conditur in utero.

Quo tua quæque mihi vertunt convicia fare,
Dimidium vitæ? Siccine triste vale
Miseris insonti! Meritis ea gratia nostris,
Ut nunc inter nos quæque recissa forent
Fœdera? Quæ numen geniusve repente sub ima
Condere mente nefas hoc potuere tua?
Quid mihi consilium mandans non, sæva, cicutam
Misisti, ut nostris sit cita meta malis?
Causa probri pateat, cupio, vel origo querelæ.
Anne meæ arserunt luce minore faces?
Num studium, pietas et amor quibus ipse liquesco,
Ancipiti nequeunt sat reserare fidem?
Quid prodest, oblita meî tædæque jugalis,
Ut serves memori pectore pacta prius

Fœdera, quæ possent exin monumenta subesse,
Improba, quem cupio si vetor esse toro?
Non præjudicium, quamvis te ducat inepte,
Naturæ cunctas obstruet usque vias.
Frustra desudas aditus circumdare spinis,
Ipsa per instratas carpet abacta viam.
Hæc tua proditio mentis non ducet amantem
Vindictam versus, cum cito damna lues.
Te memorem cupio quorum nutriveris ignum;
Angulus omnis adhuc te monet esse ream,
Testis enim juramenti qui testis amorum.
Hic candore novo qualis Ibera bidens;
Hic rosa visa mihi Boreæ tutata rigore,
Dum pandit vestis munera cuncta suæ.
Illic civerunt nisus suspiria primos,
Blanditusque pudor basia carpsit iens.
Hoc in scimpodio pugnæ raptusque vicissim
Cultibus effrenos nos habuere novis.
Hæc, reor, invite menti quæcumque recurrent;
Illis quinetiam vim dabit ipsa dies.
Et tibi sic fel erit semper tua quæque voluptas.
Heu quam mox fausti terga dedere dies!
Præteritis liceat saltem requiescere scenis:
Ah malesane nimis, nil nisi fletus erit.
Cuncta ruere mihi, risus, raptusque jocique,
Ipsaque spes miseros semper aperta procis.
At tibi si nondum cecidere ignes et amori
Sit locus, ad primas, oro, reverte faces.

Digitized by Google

Si bene quid merui, vultus adverte benignos:
Arbiter ecquis erit qui meliore regat
Consilio motus animi, solatia promens?
Tu mihi fassa patris me potuisse frui
Nomine : neu titulo spolier, precor, ultima fando.
Ocius o redeas jam comitata jocis,
Et procul abcedant luctus, curæque, minæque.
Flos animi, moveant sollicitudo tuî,
Sollicitudo meî, forsanque tuo qui conditur alvo
Prolis, et hinc fato cætera jure sinas.

Digitized by Google

PYREXIA.

Zoroas, visa Pancharite, dolet quod sit sæviori-bus acta febris ardentis ignibus, unde sit mors amicæ proxima. Precatio ad Jovem ut ecumbenti det vitam resumere. Si non tangitur et Parcæ non nectant amplius fila ipsius vitæ, mortem sibi adeundam esse asserit.

Fata volunt, Atroposque parat se stamen amatæ
Solvere; tabentem lethifer ardor edit,
Vasaque desiccat præcordia sævius urens.
Sic cito nostra Venus victima mortis erit!
Proh Dii! Mox riguere novo sua spasmate membra,
Et, venis tactis, certior ipse magis
Nunc fio versam morbo crudelius intus;
Et quæ sæpe prius testificata fidem
Lumina, non pandere notas præsentis amici:
At stringendo manum qualiter illa prius
Non suevit, mihimet patefecit vota suprema,
Flebiliter cassos eliciendo sonos.
Jupiter omnipotens, Divum mitissime, jamjam
Exaudi, faveas, quas ego fundo preces,
Justa precor, nostrisque dehinc te siste cupitis.
Te duce morbus eat; sic et alumna novæ

Instauret vitæ cursum; miseresce puellæ:
Curaque sit vobis, numina fausta procis!
Crimina quæ meruere reæ vos dicite pœnam.
Parcite, si qua forent, quod pia nuper erat.
Ecquid frugis erit segetem stravisse virentem?
Nunc mala, nunc luctus, oro, videte meos,
Et qui sint nostri angores quantique labores
Neu lateat vobis. Sique nefasta nihil
Asperitas sortis tangat vos, sistite, Parcæ,
Nectere jam vitæ stamina cœpta meæ:
Nam mors est adeunda cito cum munera lucis
Non mihi, sed dominæ, quæ bona nuper erant.
Si pereat, peream vel ego: sic vectet amores
Una ratis nostros velificando Stygi.
Sed vivam mandante Deo, si vivet amanti:
Sic sors æquanimis una duobus eat.
Ah miserum quod adhuc solatia nulla supersint,
Dum dubiis cassus nat mihi linter aquis!

Digitized by Google

LIBITINA.

Ultima Pancharitis verba. Mortis causam tribuit Zoroæ, quem nihilominus semper amat et cujus memor semper erit. Crimen notum fecit matri, unde suæ menti quies. Maxima mœroris causa est quod secum moritura sit proles, et quod descendat sine matris honore. Vexant eam remorsus; sperat tamen condonari à judicibus. Sit memor illius Zoroas, læta subibit viam. Rogat cineres suos latitent sub cespite agonum, cum inscriptione quam sibi composuit. Moritur.

E mortis strato veniunt ea verba suprema,
Queis nosces dominæ tristia fata tuæ.
Dum mihi febris adurentis deferbuit ardor,
Mente mea volui fidere quæque latent.
Cum tibi pertingent, forsan jam straverit artus
Dura meos requies. Flagitiose nimis,
Te super indoleas, miseræque memor vel amoris
Abrupti, effusis fletibus ora riga.
Quæque fuere prius mentem discrimina vitæ
Transactæ, haud noscam, sic subiere meam,
Ut tostus sanguis venis incendia volvat,
Unde cito vitæ stat sua meta meæ.

Digitized by Google

Attamen, acta malis, vocitat te nuper amica:
Nam, licet ipse reus, sæpe recurris ei
Carior. O crudelis Amor, Pietasque Pudorque,
Quanta simul geritis pectore bella meo!
Lucida dum momenta febris mollita remisit,
Non potui matri quin mea cuncta loquar
Crimina quæ rodunt animum torquentque severe.
Commiserata mali, balsama grata tulit.
Exin lymphati sensus melioribus orsi
Ire viis: verum non juvat ista quies;
Quin focus ipse febris flagrat crudelius intus,
Nilque valet medicæ quodlibet artis opus.
Increpat et miseram pignus me nuper amorum.
Quæ prius addideram sponte tacebo mea.
Culpa fuit matris minime servasse puellam,
Reddere felicem quam potuisset Hymen.
Sed magis opprobrium meme quod vexat acerbe,
Illud erit prolem porro necasse prius
Quam spiraret: eam motu jam sentio probrum
Carpere; sicque dies nectere velle sibi.
Sors deflenda magis! pereo sine matris honore.
Siccine verba mihi nunc rata vatis erunt!
Me circumvolitant umbræ lethumque minantur,
Eque domo supera strix odiosa canit.
Tisiphone, juxta thalamum crinita colubris,
Exululat nigra me rapiendo Stygi.
Sed cum fata velint, peream luitura malorum
Pœnas; mox Erebi transilitura lacus,

Digitized by Google

Judicibus sistam promens cum crimine vitam:
Cernere tunc possent quis pudor intus inest;
Et mihi condonent ævi sortisque miserti!
Hæc mihi spes aperit, me moriente, domos
Dulcius infernas; inhiat jam cæca vorago.
Sis memor ipse mei, læta subibo viam;
Tuncque revolvendo casus dic: «Illa peregit,
Finiit et vitam me refovente suam.»
Dein latitent nostri cineres sub cespite agonum,
Et tumulo pateram, si memor atque pius,
Suffundas lactis, supraque ex marmore surgat
Stela cui subsint proxima verba mihi:
Pancharis hic miseranda jacet, cui fata dedere
Uri sinceris ignibus, unde fuit
Curta dies illi: diuturnius illa superstes
Si non delictis ante remorsa foret.
Sed jam verba labant summis hærentia labris,
Torpor Lethæus frigida membra tenet.
En vigor omnis abest, veniunt luctamina mortis;
Jamjam deficio nunc, et... amice, vale.

Digitized by Google

ULULATUS.

Gemitus Zoroæ de amissa amica, exclamationes. Mœrentis vota. Abrumpet fatum. Quam à scopo erraverit in cienda amicitia cum Pancharite! Quæ spes, et quam descivit ab illis! Remorsus amicæ omnia verterunt nihilo. Apostrophe ad eam. Fletus inanes; se vertit ad loca prioris felicitatis. Quam distant ab illis quæ prius! dira lues flavit ubique. Nil opis afferre queunt carmina. Supplicatio ad Venerem ut sinat reliquias amatæ quiescere in Idaliis lucis. Tumulo superpendebit Zoroæ fistula velut monimentum doloris, et indicatura mortæ Pancharitis cessandos esse omnes modos.

Occidimus miseri! periere quot ante juvabant
Deliciæ! occidimus! nunc fera fata manent!
Siccine dimidio vitæ finire labores
Concessum! Clausit lumina blanda sopor
Lethæus, nec ei licuit præstare suprema
Munera! Convulsis artubus ipsa rigens
Tentabat duros ictus propellere mortis:
Omnia sed miseræ cassa fuere, perit.
Ah nunc viventi tellus hæc ima dehiscat,
Vel Pater omnipotens fulmine pandat iter

Digitized by Google

Ad sedes imas Erebi ripasque tremendas,
Cum jam tollatur quod mihi vita fuit.
Stipite qualis hians viridi contagia passa
Aspera phlox Boreæ nutat et inde cadit,
Cui Cytherea dedit melioribus esse regendam
Auspiciis, simili funere virgo labat.
Nec meminere precis nostræ sic numina cœli,
Nempe lacus Stygios sic simul ire queam!
Ergone jamque dehinc mihimet rota versa malorum
Incipiet series volvere quasque suas,
Nec magis exstimuler præceps abrumpere fatum!
Ah sibi quos primus blandius ignis alit,
Quot clades ducunt! Veneri libando putabam
Ordiri vitæ tempora fausta meæ.
Ignibus actus iis, primo mea jure fovebam
Gaudia, sic propriis invigilando bonis,
Pauca ferens utrum Cytherea bearet amicam.
O scelus! hinc pœnas ocius ipse lui.
Arsi, sic arsi qualis malesanus amator,
Telaque procudi queis premor ipse mihi.
Me quoque deperiit: verum brevis aura secundis
Quam flavit velis! Foverat illa meam
Spes mentem, miseri, quid non speramus amando!
Sensim provecto pignore amoris, ubi
Se daret hinc optata meis occasio votis,
Tunc matrem precibus flectere posse meis,
Fando scelus genubusque volutum vincere dictis;
Sic Junone meis auspice forte bonis

Reddere perfacilem, tædis hymenique favere,
Demere sic nupto quod mihi crimen erat.
Hæc Stygiis immersa vadis oblivia pascent,
Nec datur unde dehinc illa redire queant.
Talia fingebam; sed erant ludibria ventis,
Votaque Memnoniis mox abiere plagis,
Irritaque in tacita quotquot mihi mente serebam
Vertere immerito. Pancharis ecce citis
Vexatur stimulis; ultrix furit intus Erinnys;
Æstuat hinc sanguis moxque timore coit;
Et nimium præjudiciis data respuit omnem
Spem, quæ jure metum jam potuisset ei
Solvere: se patitur duci nimis omine lævo,
Et, vale dicendo sic resoluta cadit.
O Dea! fulsistine mihi ceu fulgur ab axe,
Conficiesque procum non reditura dein.
Me miserum! citius fontes recludite vestros,
Lumina; jam lacrymæ fluminis instar eant.
Væ mihi! quod vel adhuc fletus volvuntur inanes,
Et nullius erunt carmina nuper opis.
Quæ, Musæ, tenuere moræ cum stamina solvit
Mors sociæ? vobis siccine tuta fuit?
Nunc ubi congeries doctrinæ? quo vel acumen
Ingenii? vocis quo sibi dulce melos?
O loca quæque prius peramata et fausta subinde,
Quæ toties estis testificata faces,
Queis etiam gemitus blandis ivere susurris,
Vos eritis posthac conscia cuncta mei

Digitized by Google

Angoris. Quanto vosmet distatis ab illis
Quæ prius! Ille vagis utpote mœstus aquis
Decurrit rivus tingi quo membra solebant
Sole sub æstivo; marginis aret humus;
Languent arcellæ frondes quæ dulcius umbris
Texerunt ignes; garrula acanthis abest,
Quæ cantu vario nuper plaudebat agoni;
Flavit dira lues, squalet et omnis honos
Qui fuerat sedi. Chloris nunc priva sequacis
Se dedit effugio, ne Libitina trahat.
Quisque gemit reperitque gemens qui demat acerba;
Sed quæsita mihi non venit inde quies.
Murmura versa modis intus lugubria condo,
Quæ sint servitii tot monimenta mei.
Ast ea nulla queunt lenimina ferre dolori;
Utilis hinc aliis lacryma fusa nocet.
Quid mihi non periisse simul, ne deinde perirem?
Nam si crimen inest, cur mihi suadet amor?
O Venus, auxiliata procis queis semper inhæsit
Cura tui cultus, nunc patiaris ei
Quæ toties aris cecidit prius hostia sacris,
Idaliis pacis saltubus esse locum,
Secessuque jugi, myrti florentis ad umbram,
Sit tumulus; tumulo conspicienda procis
Qui peragrant lucos, inscriptio marmore sculpta,
Quam sibi composuit cum subitura specus
Tartareas, eheu! specimenque sit esse coquenda
Jura pudicitiæ, ne male forsan eant.

Digitized by Google

Sed velut appendix subsit mox distichon illud,
Ut melior monitus nuper amore datis:
Vosque cavete dehinc rapiat sic ocius Orcus
Quos agit una fides, jungit et unus amor.
Et mea quæ toties nostros cantavit agones,
Nullius hinc usus, tibia muta super
Pendeat ut nostri monimentum triste doloris,
Pancharitisque docens morte silere modos.

Digitized by Google

EPICEDIUM.

Elegia de Pancharitis obitu. Incumbit primo Zoroæ solvere munus honoris mortuæ. Meminiscitur diei qua primitus illa sese obtulit ei ipsi. Comparat eam rosæ nascenti. Novæ dotes perstringuntur. Incassum eam revocant ejus suspiria. Apostrophe ad amicam; sit memor sui jurisjurandi. Apostrophe ad Numina cœli. Irrita sunt vota. Justa solvantur, et cineres Cypro occultentur. Exequiæ. Apostrophe ad ruris honores.

FUNDITE vos lacrymas, quicumque Cupidinis arcum
Noveritis : cecidit Pancharis ante diem.

Hoc mihi munus erit primum qui primitus arsi,
Quique prior fuerim quo sibi notus Amor.
Heu mihi ! quam graviter tanti fero pondus honoris,
Quo nunc damna recèns asperiora fluant !
Hunc vidi Zephyro mulcente dehiscere florem,
Et simul omne decus pandere suave suum.
Dum Cereri spicas et adorea liba vovebat,
Eximiam speciem progeniemve poli
Credideram, tali sese gravitate ferebat,
Tantaque prodibant quæ comitata suos

Tunc habitus, species, et honos, candorque, pudorque:
Dixisses Heben molliter ire Jovi.

Fundite vos lacrymas, quicumque Cupidinis arcum
Noveritis : cecidit Pancharis ante diem.

Ut rosa, vere novo, foliis pandentibus offert
Cultori sensim quidquid honoris erit,
Paulatimque vides album mutare colorem
In rubeum succi quem calor intus agit
Viribus, haud aliter patefecit virgo lepores:
Sic miraris eam quotquot iere dies
Promere tunc alios, lucemque novam esse decori.
Quam mage virtutum, si meminisse licet!
Quæ sua mellifluæ suavissima gratia linguæ!
Qui numeri, moduli, mollitiesque lyræ!
Quam placidi mores, habitus sibi, quamque sagaci
Pollebat genio! quis rationis apex!

Fundite vos lacrymas, quicumque Cupidinis arcum
Noveritis : cecidit Pancharis ante diem.

Tempora mitificant crudelia fata cuique,
At mihi vulnus alunt firmior hinc et amor.
Heu adeo lapsam revocant suspiria nostra,
Auroram gemitus antevenire solent:
Tædia nostra dies acuit, nox ipsa dolores;
Et suspirantem me stupet orsa dies.

Digitized by Google

Panchari, te ploro; plorant te quoque Camœnæ,
Te Nymphæ, Dryades, teque perinde prius
Qui coluere parens, sociæ, te quisque colonus;
Quemque tibi dederam psittacus ipse, tui
Nominis haud oblitus, adhucque cuique dolores
Exacuens: adeo nos tua fata premunt!

Fundite vos lacrymas, quicumque Cupidinis arcum
Noveritis: cecidit Pancharis ante diem.

Si qua fides superest cessis, si semper et insit
Jurisjurandi mens memor ante dati,
Ah meminisse proci necnon meminisse juvabit
Et facis ipsius, tum quoque, quotquot erant,
Virtutum. O jamjam nostris nimis invida fatis,
Reddite sublatam, Numina, sorte mihi
Asperiore. Meis surdas heu vocibus aures
Præbetis, necnon irrita vota jacent.
Irrita vota jacent! æterna silentia servant
Ora prius toties sic bene fata modis!
Ergo pius solvetur honos solvendaque justa,
Membraque funereo pallida danda rogo!

Fundite vos lacrymas, quicumque Cupidinis arcum
Noveritis: cecidit Pancharis ante diem.

Heu cineres servate, noti; donate Lyæo,
Flebilibusque simul vos iterate sonis;

Digitized by Google

Suffitosque prius benevolentis thuris odore
Accipiat paucos discolor urna Pari,
Et procul occultate Cypro quo nemo quietem
Turbet eis. Umbras et prope mœsta larix
Surgat suffectura procis quos moverit illuc
Fama sui. Pubes spargat ubique rosas;
Huicce pio Charites operi Musæque sequantur
Obtectæ nimbo, concomitetur Amor
Absque face, et cujus vulgent suspiria cuique
Prospera fata mihi nunc abiisse procul.

Fundite vos lacrymas, quicumque Cupidinis arcum
Noveritis : cecidit Pancharis ante diem.

Vos patulæ fagi, fontes frigentibus undis
Manantes, musco grata virente specus,
Queis bene Titanis, minimeque Cupidinis, æstus
Arcendi, vobis vertite quosque sonos
Flebilis hinc Musæ querulo resonanda dolore;
Plangoresque meos ingeminate procul.
Quid mihi jam natura suo vestitur honore,
Cum perit ipsius quo recreata jubar?
Sic abeunt Veneres secumque trahunt quod Amores
Ducebant lepidi, quod fuit ansa joci.
Hoc grave, vos Zephyri, fatum vulgate per orbem,
Et clament mecum qui caluere proci:

Fundite vos lacrymas, quicumque Cupidinis arcum
Noveritis : cecidit Pancharis ante diem.

Digitized by Google

INVOCATIO.

Zoroas, impos animi, se vertit ad philosophiam, ut ab ea accipiat meliora miseriis suis solatia. Ejus prima institutio et magistri. Decis-cit à præceptis Platonis et in Epicuream scholam transit. Quam sibi arrideat nova doctrina! Unde vitæ solutæ genus antequam in Pancharitem inciderit. Vale dicit honoribus et hominum luxui.

O Sophia, humano generi dimissa propago
Sedibus è superis, fons et origo boni,
Sorte sub adversa pressis solatia promens;
Tu quæ tot mentis subveniendo malis
Labentes fulcis, servas instante ruina,
Vel stratos relevas queis documenta placent;
Fulgida fax, homini nondum radiata priusquam
Miserit ipse Deus commiseratus eum;
Tu quæ terrigenas tuto vitæ per acerbos
Ire sinis casus quasque docendo vias,
Ad te nunc redeo rerum discrimine versus:
O mihi subvenias, sic eris ipsa salus.
Ante tuis doctus præceptis primitus, atque
Ductus divina voce Platonis, eram

Tunc assecla tibi et fautor virtutis acerbæ,
Hac ætate mea qua furit omnis amans
Igne novo, quæritque sibi nutrimen amoris.
Tunc pater Alcimedon, semine jamque datum
Virtutis, juvenum turba me traxit ab omni;
Naviter invigilans ne mea forte ratis
Illidens scopulis, placide dum finderet æquor,
Fracta ruat, Cratæ, qui moderator erat,
Fidit: et adjecere mihi plus artis Athenæ,
Scilicet ut possim noscere quosque sophos,
Atque inter sylvas Academi quærere verum,
Quæsitoque bono jure subinde frui.
Sed quid adhuc mœrens dubia tot mente revolvo,
Et magis exacuo quæ nocuere notas?
Nil in amore valent Zenonis et ora Platonis,
Socratis aut Cratæ, Pythagoræve modi.
O Sophia, auspiciis ibam melioribus ante
Dum tibi vivebam semina multa serens
Quæ possent olim fructus proferre mihimet.
Atqui rectori si velut ipsa polo,
Tunc Zephyro purgante viam, fulgentior exit
Pallantis ducens jam sibi pone diem,
Non ita sic vitæ nitidis lucebat horizon
Indiciis. Eheu quam prius omen erat
Tunc bene deductum! Nascente cupidine flagrans,
Neglexi sensim quæ mihi nulla dabat
Pabula doctrinam, fallaxque Epicurus alumnum
Me duxit sibimet mancipiumque dein.

Digitized by Google

Quam mitis doctrina sophi! quam mollia secum
Delicia addebat culta perinde meo
More! mihi quanto læti jam surgere soles
Incœpere dehinc! Quo tua, dive Plato,
Semina jacta bono nuperque feracia agello?
Ex animo citius tunc cecidere meo
Quique tui monitus; sprevi magis, imo recordor,
Doctrinam, siquidem jam mihi stabat obex.
In me cæca libido ruit, nullusque remissum
Delectus tenuit, dum procul actus eram.
Et ruit ipsa magis citius minitando ruinam,
Quo prius exstiteram maximus osor ei.
Fallaces habui sinceros sæpius ignes;
Idcirco Veneris non caluere meis
Thuribus ipsa piis Amathunte altaria, mensque
Plena voluptatum cætera sprevit iners;
Ridebamque faces etiam quas blandus alebat
Tunc Amor, illudens scommate quosque meo.
O infida nimis vacuæ præstigia mentis
Ad se quam tacite fœda libido trahit!
Denique Pancharitem vidi, quæ sola removit
Affectus pravos me sibi nuper habens.
Tunc novi quid Amor, quantisque premebat acute
Cuspidibus; nostra tunc prece mota Venus.
Sed quos credideram minime constantius ire,
Ignes duxerunt heu alimenta magis.
Arsi sic demens ut iis non amplius objex
Ullus, tantus erat fomes et intus inest

Digitized by Google

Nunc etiam, quamvis cæco descensa sub Orco.
O Sophia, ante animo gratior esca meo,
Protinus ipsa malis sanantia balsama funde;
Tu quæ tam radians ore Platonis eras
Ante mihi, faveas citius, dimitte morandi
Causas, atque cibum suffice blanda foco.
Vos hominum luxus vel opes et stemmata quæque,
Non erit hinc vobis quæ fuit ante, fides.
Ecquid enim misero proferre potestis amanti,
Cui jam cum domina cuncta ruere sua?
Pancharis heu mihimet rapitur: nunc docta Platonis
Dogmata ni prosint, proxima finis erit.

Digitized by Google

SUPREMA.

Nil prosunt Zoroæ philosophiæ solatia. Apostrophe ad pulchriores ruris honores, ut attendant ad ultima ejus verba. Felix esse nequit ni adeat infera regna. Supplicat Cupidinem ut ei ipsi faciliorem paret viam. Credit audire vocem Pancharitis. Eam alloquitur. Deprehendit larvam esse. Apostrophe ad dominæ socias, ad sophos. Ibit quo descensa est, et rursus cum ea societatem inibit; iterum erit sub ejus ditione datus.

SICCINE cassa mihi sophiæ solatia divæ,
Irritaque eximii dicta Platonis erunt!
O fons illimis, rivum geniture loquacem,
Quo toties artus nuper amica suos
Proluit, algenti quærens depellere lympha
Ardores nimios queis caluere dies
Æstivi; lacrymosa salix, quæ sæpius umbram,
Flantibus hinc Zephyris frigora grata, dabas
Dum versabat ei placide ludibria Morpheus:
O vos quæ divæ dum meminisse datis,
Heu luctus memoratis item, nunc sedis honores,
Chloridos o proles candida, veris opes;

Vos quibus invidi, flores, dum sorte secunda
Juris erat vobis fulgidiore frui
Luce sinu gestis : luscinia, cujus amœne
Vox placuit stratis; cespes et ante torus:
O loca cara mihi, toties mirata lepores,
Queis sensus feriit, fovit et almus Amor;
Quas miser effundit lacrymis attendite tandem,
Et quæcumque dabit verba tenete, precor.
Fluxerunt vobis et honos virtusque decusque
Fluxa qua toties hæc valuere prius.
Cum semper revocetis eam quæ foverat ignes,
Et sitis nostris esca recocta malis,
Felix esse mihi nequeo, nisi regna sinantur
Infera descensu quomodocumque dein
Pandat iter Libitina favens, qua ducar ad illam.
O sors grata nimis qua reviviscet amans!
Tuque voluptatum nuper, pharetrate Cupido,
Heu toties testis, queis premor ipse malis
Auxilium fer, adhuc blandam spem dando labanti,
Qua possim metam tangere jamque meam.
Quæne meos poterunt angores promere voces?
Græcia, jamque ruit quidquid honoris habes.
Nec gemitu votisve tuis tua mota fuere
Numina nec nostris, et moriendo pie
Deflendos linquit cineres mihi! Quid sit amœna
Vox ea quæ revocat, dum venit acta levi
Nunc Zephyro, fluxas noto modulamine vires?
Quid nostris resonat auribus ista chelys?

Digitized by Google

Quid melos hoc nitidum cantu alternante vicissim?
Hæc tua sunt certe, sunt ea quæque tuæ
Eheu virtutis tentamina nota prioris.
Dic mihi, sisne proco reddita semper amans?
Sume vices iterumque vagis tua necte capillis
Retia, queis veniens illaqueanda fides
Vim sibi sponte trahat; modulis o solve potentis
Jam nexus linguæ; da mihi rursus iter
Quo toties errando secus nova gaudia prompsi,
Quoque dolis ibat tunc magis actus Amor.
Subrides, aperisque tuos offersque lacertos,
Molliter angori ferre levamen avens.
Proh Dii! quis sensus deludit amabilis error
Mendaces misero sic fabricando dolos!
Quid fugis, o crudelis, adhuc dum sisto vocanti?
Sed mihi larva monet quæ facienda dehinc.
Te sequor, o conjux: sit enim fas nomine tali
Te vocitare prius quæ data jure mihi.
Vos, sociæ, luctis toties solamen anhelis,
Dicite quæ fuerint verba suprema meæ:
Nam vos scire decet miserum solatia semper
Invenire sibi si miserescat amans.
Sæpe, ferunt, nomen veniebat amantis in ore,
Questibus et nostris miscuit illa suos;
Inde vocans Venerem, cunctis vulgavit amores.
Desinite accentus quo dolitura foret,
Namque, probata prius, gaudet nunc pace serena.
Me super ah potius vertite quæque metus,

Digitized by Google

Quem nimium cruciant fortuna moræque sequendi.
Vosque, sophi, miseros qui sibi sponte ferunt
Funera damnantes austera voce crepando,
Anne latus vobis punxerit almus Amor?
Ah non, imo quidem vitant infecta sagittæ
Pectora mandragora felleve pasta strigis.
Te, nemus umbriferum, visam, quo nuper amica
Ivit, quinetiam si nece fiat iter.
Tunc pede submolli jucunda vireta teremus,
Jungemusque simul blandula verba modis;
Sique regant eventa pari nos sorte beatos,
Conventis iterum tunc rediturus Amor.
Nam si pulchra prius qualis Pallantias ipsa
Mane novo quando roscida mille jacit
Solis ab adverso nimbosa per astra colores,
Quid non in lætis sedibus hisce magis
Queis nova quisque trahit nitidæ sibi semina lucis?
O fraudes, nictus, furta, minæque breves,
Nequitiæ, ira levis, requies, convicia, morsus,
Blanditiisque dein sermo remiste magis,
Basiolisve novis, luctamina cætera amoris,
Rursus ero vestra sub ditione datus.

Digitized by Google

MONITUM.

Zoroæ multum tædet vitæ, quod semper obvertantur ei mœrores. Antra adit, ibi quietem nacturus; errat passim mentis inops, nec invenit ullum juvamen. Apparet ei subito Naïs una quæ eum alloquitur et consilium dat quo finem habeat languoribus; adeat nempe Leucatam, et se præcipitem det in pontum. Assentitur ei. Dona quæ prius Apollini vovet.

Ah me quam vacuæ cruciant discrimina vitæ,
Nunc quod iere mihi gaudia quæque procul!
Ecquid crediderim tantos fluxisse mihimet
Ex illo angores quo periere faces?
Nulla juvant delectamenta, jocique ruere,
Tumque voluptatis maxima causa meæ
Ipsius exitio. Phœbo surgente recurrit
Quæ sensus turbat sollicitudo meos.
Antra peto sylvasque, mihi velut inde scaterent
Spes lenocinii quo prius actus eram.
Mœstus eundo magis, fontes rivosque lacusque
Prataque lamentis ipse fatigo meis.
Sed mihi non minuunt fontes rivique lacusque
Damna, quod his absit sola perinde quies.

Digitized by Google

Cespite sub molli fagique virentis ad umbram,
Jam non invenio quæ placuere prius
Otia. Suspiro, suspirat et ipse palumbus,
Lenimusque pari tristia fata sono.
Mentis inops passim, tanquam furialis Erinnys
Egerit, ex humeris crine fluente feror.
Et nunc antra patent scabris horrentia tophis,
Quæ prius Œbalii marmoris instar erant.
Invenio sylvam nobis quæ sæpe cubile
Obtulit et spissa texerat ante coma;
Fagus ubique refert, cautes quoque, nomen utrumque
Cortice commissum, cuspide cote datum:
Sed mihi semper abest sedis pulcherrimæ Nympha,
Arboribusque deest quod fuit omne decus.
Ante mihi pressas spectavi graminis herbas,
Lætaque Pæstanis quæque vireta rosis.
Incubui, tetigique solum quacumque cubarat,
Protinus et lacrymas sorbuit herba meas.
Omnia mœsta silent, naturaque conditur atra
Nocte, mihi primæ lucis egena suæ.
Sed dum cassa recèns ponebam gramine membra,
Ad fontem Triviæ quo foliata dabat
Frigora lotos aratori gratissima fesso,
Exsilit è gelidis humida Naïs aquis,
Quæ mihi: « Laudo quidem, dixit, quodcumque doloris,
Nam jactura gravis non reparanda dein,
O Zoroa! Quoniamque imo sunt pectore amores,
Ambraciæ regio mox adeunda tibi.

Digitized by Google

Hic scopulus surgit dumosis rupibus asper;
Vertice stat Phœbi thure colenda procis
Ara pio, conspecta procul, quæ prospicit æquor:
Quod prisci actiacum Leucadiumve vocant.
Terminus hic melior saltu infelicis amoris,
Hic cito demetur quod tibi causa fuit
Mœroris. Sed abi Numen venerando priusquam
Ultima tunc votis meta sit ista tuis:
Lex ea lata peregrinis. Pete protinus aram,
Nec pudeat montis dissiluisse jugo.»
Dixerat hæc, imis madidum caput occulit undis,
Attonitum linquens vocibus ipsa suis.
«Ibimus, o Naïs, clamo, scopulumque petemus
Indictum, faveant Numina quæque loci.»
Et tu, Phœbe, modos communi munere habebis
Et quidquid docuit carminis almus Amor.
Hi tibi sint semper tituli morientis amantis,
Cui prius ingenium materiemque dabas.

Digitized by Google

SOLILOQUIUM.

Zoroas exponit quæ eum conficiunt miserias, et resolvit eas abrumpere sponte sua moriendo. Satis eum nutriverunt spes falsæ. Apostrophe ad Platonem. Confidit post mortem in æquitate sui judicis. Procul abeant curæ, metus et pavores. Vale dicit elegis. Quomodo debeant se gerere, indicat illis quos ante scripsit.

Jure quidem, nimium variis jactata procellis,
Mens mea jam vitæ pondere pressa labat.
Gaudia fugerunt, vivo nunc orbus in orbe,
Duraque me miserum tædia sola manent.
Alea jacta mihi; peream cito sponte, perosas
Si nectendo moras mors vocitata fugit.
Ah satis ancipitem paverunt nuper inanes
Me spes; et dubium Pancharis ipsa crepat.
Jam pandatur iter propria vi nocte sub atra,
Si nunc non alia Tartara cæca patent.
Dive Plato, quanto menti tua dulcius hocce
Momento redeunt edita verba prius!
O ita? sic moles animati corporis omnis
Non perit, ac homini deinde redire datur
Cuilibet exanimi, nec erunt dilata merenti
Pœnaque vel pretium quæ tulit ipse Sator,

Digitized by Google

Qui regit æquatis immensum legibus orbem,
Mercedemque suam cuilibet esse studet!
Ergo pars melior nostrî dein morte superstes,
Immunisque situs, surget itura procul
Sedibus Elysiis fruitum cum fecerit æquus
Arbitrium judex. Quid moror ergo viam?
Accepi vitam veluti munus, nec erit quod
Ac simul aversor longius ipse traham.
Multorum jactent contraria dicta sophorum
Imbelles animo, non malesana regent
Illorum argumenta virum qui, conscius intus
Ipse sui sensus, mox ratione legit
Quæ meliora sibi. Vivendo jactor in orbe
Nullius frugis cuilibet, absque notis.
Me lusit fortuna nimis; privatus ab omni
Subsidio, nec habens quo meliora cadant,
Nunc tandem teneor tentamina summa subire
Queis citius vertant prospera fata mihi.
Mutando exosam sedem, spes nascitur omnis
Inde boni: quid ego destituisse ferar
Quod mihi jam superest, miserorum sola voluptas?
Vos procul hinc omnes qui valuere metus;
Nil erit imperium vestri Phlegethonta meanti,
Dum stabit nostro pectore primus amor,
Quo subeunte manent suspiria sola dolenti.
Ocius ah finis nacta sit ergo meis!
Vixi, et quidquid erat cursus mihi dulce peregi,
Nilque dehinc restat quod meminisse velim.

Digitized by Google

Gaudeo nunc animo felix transire sub umbras,
Judicioque dari quod Rhadamanthus habet.
Vos procul, o tristes elegi, discedite posthæc;
Nuper enim vobis quæ stata pacta cadunt.
Sic nostris madidos lacrymis decet ire seorsim,
Nec loca queis risus, gaudia queisve joci
Regnant visetis. Conjux velut orba marito,
Vos fugietis item quos et amœna prius
Rura dabant lusus urbanave limina luxus:
Vestra sit illa domus quæ lacrymosa tepet.
Ite igitur, requies totiesque levamen acerbis
Rebus, et ad tumulum sistite jamque meæ
Pancharitis, cantus et eam mulcete canore,
Ultima dicendo quæ trahet umbra sibi.

Digitized by Google

CORONIS.

Consilia Naïdis exsecutus Zoroas, et ad cacumen Leucadiæ accessus, rupes alloquitur. Numina locorum precatur, seque vertit ad Favonium, Nymphas, Tritones, Deos Deasque omnes ponti, ut sibi ipsi facilem concilient viam. Ultima Cypridi verba. Nomen inscribit rupi, ut posteri sciant eum hic periise. Se ab alto dat præcipitem mari.

O loca, nunc salvete prius totiesque remensa
A tot virginibus totque perinde procis;
Leucatæ rupes, jamjam mea certa voluptas,
Quæ dabitis dominam visere, spero, meam:
En ego quidquid erat sortis mihi promptus iniquæ
Claudere. Prærupti Numina sacra jugi,
Vos quibus incendit purissima thura priusquam
Se det præcipitem fluctibus omnis amans;
Vos, scopuli abrupti, spumans quos unda profundi
Comminuit subtus; tuque, suprema mei
Oris verba ferens ubicumque, Favonie, vosque
Nymphæ, Tritones, Numina vosque freti,
Quæ toties dextram mersis et amica tulistis
Auxilia, o tandem jamque favete mihi;
Et date migranti faciles ad Tartara passus:
Pancharitem quæro, vos aperite viam.

Digitized by Google

Tu vitam largita prius plerumque serenam,
O Venus, accipias ultima verba proci
Qui toties jucunda tibi libamina ad aras
Fudit : fac, quæso, cui periisse datum,
Ut mea amata brevi redeat morientis in ulnis.
Vos quibus heu toties cæsa dedere proci
Nomina, dum sibimet mediis peteretur in undis
Mors, quibus est notus quisquis amore perit,
O rupes, capietis item nostrum, nec erit quod
Posteritas Zoroæ nesciat inde vices.
Omnibus hinc dicetis iis qui sorte fatiscunt,
Advenisse scabris sedibus hisce prius
Heu socium flendo sociam, et periisse sub undis
Vivere cum nollet perditus absque sua.
En memet citius dejectum : assumite, fluctus;
Tartara sic versus vos aperite viam.

Digitized by Google

EPILOGIUM.

Talia Musa recens vulgo celanda profano
Carmina dictabat, puppe secante salum.
Dum male ducta dabam lima polienda severe,
En oculis flavus sistit Apollo meis,
Os humeros habitumque gerens Heliconis alumni.
Ille mihi primo signa subesse Deum
Nulla dedit, ridensque mihi, compellat amice:
«Ecquid agis molles sic ineundo modos?
Anne latent et adhuc quæcumque pericula versas,
Per juga Parnassi dum tibi quæris iter?
Hei mox te fallent aditus orbesque viarum,
Sæpeque nutando dejiciendus eris.
Sta cœptis, potiusve retro vestigia flecte:
Aspera nam comites bella ciere parant.»
Vix ea fatus erat, crocea cum veste refulgens
Evolat in nubem luce probando genus.
Stando Dei monitis, subscriptum mittere flammis
Aggrediebar opus: sed cito venit Amor.
«Siccine pulvis erit lepidus liber, addit acerbe,
Quo mea panduntur fœdera quæque procis,
Igneque præceleri frangentur jura potentis
Imperii! Juro, non tua cœpta feram.
Nos Amathunte locum dabimus cædendo sigillum,
Ut legat his oris advena quisquis erit;
Et discens ab eo qualis sit nostra potestas,
Dein melius noscat sub ditione regi.»

Digitized by Google

Talia fando mihi, manibus prædantibus ivit
Furtaque servavit præpetiore fuga.
Nil potui contra: quíd enim valuisset inermi
Vis exerta Deo quem cita penna juvat?
Omnibus hinc indico reum, ne crimina vertant
Dein mihi si prodit me renuente liber.

FINIS.

Digitized by Google

PARATITLA.

Avant-propos du libraire, *page v.*
Proscenium, *ix.*
Proloquium, *xxiij.*
Proasma, 1.
Iconismus, 3.
Anathema, 7
Admissio, 9.
Theophania, 12.
Procemium, 16.
Effugium, 19.
Monologium, 22.
Revocatio, 29.
Medela, 32.
Consilia, 34.
Reprehensiô, 37.
Tibia, 39.
Resipiscentia, 41.
Proseucticon, 44.
Æstus, 46.
Procella, 50.
Confessio, 52.
Hortatio, 55.
Vindicta, 57.
Deditio, 61.
Epiphonema, 65.
Mnemosynum, 68.
Fons, 70.
Mathesis, 72.
Eumathia, 76.
Rusticatio, 79.
Assensio, 81.
Bellona, 83.
Miscellanea, 87.
Sponsalia, 94
Somnium, 103.
Prædium, 106.
Carptus, 110.
Promulsis, 115.
Chytrinda, 118.
Therapeia, 122.
Velitatio, 125.
Postilla, 129.
Eorstaticon, 132.
Brabeion, 134.
Obstaculum, 136.
Despoliabulum, 138.
Pervigilium, 141.
Epinicium, 144.
Sequela, 147.
Polychronium, 149.
Recordatio, 152.
Delirium, 155.
Juramentum, 159.
Prophylacia, 161.
Imprecatio, 163.
Migratio, 165.
Pharmacon, 169.

Digitized by Google

PARATITLA.

Soteria, 171.
Phantasma, 173.
Prophetia, 176.
Votum, 178.
Colludium, 180.
Vigiliæ, 185.
Genethliacon, 190.
Paralipomena, 198.
Felicitas, 204.
Occursus, 207.
Ambulatio, 211.
Epiphania, 222.
Mantissa, 225.
Sollicitudo, 232.
Peripetia, 235.
Luela, 238.
Sibylla, 242.
Anxietas, 245.
Perfractio, 249.
Angores, 252.
Pyrexia, 255.
Libitina, 257.
Ululatus, 260.
Epicedium, 265.
Invocatio, 269.
Suprema, 273.
Monitum, 277.
Soliloquium, 280.
Coronis, 283.
Epilogium, 285.

ERRATA.

Pag.	3, *vers.*	1, datus,	*leg.* dabam.
	8,	5, animis,	animos.
	23,	18, Virtutis et,	*leg.* Et virtutis.
	26,	21, data,	daus.
	37,	2, satus,	serens.
	46,	4, nexa,	dando.
	59,	3, datæ,	daus.
	65,	2, nunc,	quæ. -- datæ, *leg.* dedit.
	105,	2, retecta,	probando.
	149,	1, quos,	quæ.

173, *arg. lin. ultim.* Promitta, *leg.* promittit.

E TYPOGRAPHIA P. PLASSAN.

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google